John Carter Brown
Library
Brown University

JOHN CARTER BROWN

LIBRARY

Purchased from the

Trust Fund of

Lathrop Colgate Harper

LITT. D.



559
6

602

VICENNALIA SACRA

PERUVIANA

SIVE

DE VIRIS PERUVIANIS

RELIGIONE ILLUSTRIBUS

Hiſce Viginti Annis

GLORIOSA MORTE FUNCTIS.

Ab Onuphrio Prat de Saba Sac. Hiſpano.

FERRARIÆ

EX TYPOGRAFIA FRANCISCI POMATELLI

MDCCLXXXVIII

SUPERIORUM PERMISSU.

RPJCB

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS.

D. D.

ALEXANDRO ALESSANDRETTIO

ZAMENSI EPISCOPO

AC

COMACLENSI

VICARIO APOSTOLICO

cet. cet.

Onuphrius Prat. de Saba Sac. Hiſp.

Æ. F. P.

IMagines quorundam Illuſt. Virorum Provinciæ olim Peruvianæ dictæ, tenui penicillo adumbratas ad noſtram, proximorumque eruditionem publici juris facturus, operæ pretium duxi, eaſdem Tuo Nomine munitas, ornataſque prodire

dire, Alexander Pontifex Illm̃e . Hujus autem consilii causa omnis, et ratio, sin minus nobis, qui Tui, rerumque Tuarum grata, dulcique cognitione recreamur, ceteris sane aperienda est, ut in hac re quantum Tu reliquis præferendus fueris, quisque plane intueatur . Dicam aperte quod sentio . Fui semper in hac sententia, edendos in lucem libellos ejus Mœcenatis nomine ornatos, munitosque prodire oportere, a quo et accipere ipsi plurimum decoris, ornamentique, et cui tantundem reddere possint voluptatis, et gloriæ: ex qua dati, acceptique justa ratione exsurgere mihi videtur justum illud illustre, atque præclarum, quod honestum maxime sit, maximeque ab omni adsentatione abhorreat; cum sponte sua libellus Moecenatis illius præsidium, ac dulce decus postulare, Moecenas eidem prope occurrere, præsidium-

umque ſuum ultro exhibere videatur. Quod raro aliis fortaſſe, id mihi ſese offert adeo planum, atque percommodum, ut Imagines ipſæ vix adumbratæ, atque in lucem prodituræ in Nominis Tui patrocinium ultro confugere, Tuas ſe eſſe totas, et proprias fateantur; cum ex eorum Illuſtrium Virorum geſtis rebus, ac virtutibus ſint expreſſæ, quos adeo Tuos eſse Ipse voluiſti, ut eorum contubernium, inſtitutam vitæ rationem, arctiſſimum religionis vinculum patriæ domeſticis, familiaribus Tuis, parentum, majorum Tuorum gloriæ decori, nobilitatique prætuleris; neque exiſtimaveris magni Te emiſſe Eorundem Socium, Fratremque appellari; cum tamen iſtud terrenarum rerum omnium expoliatione comparaſſes.

Hoſce igitur Claris. Viros fratres quondam Tuos quoties intuebere non inani gloriæ umbra illuſtres, quales ja-

ctare inanior terrena nobilitas ſolet, ſed veræ laudis, ac gloriæ ſplendore undique circumfuſos, quo gaudio replebere? qua jucunditate perfruere? quanta lætitia exultabis! Nam quidquid aggredi in hac vita magnum, atque glorioſum magnanimus quiſque Vir poteſt; ea omnia, quæ ab plena, abſolutiſſimaque fortitudine proficiſcuntur, in hiſce quorundam Tuorum Imaginibus intueri, contemplarique juvabit: quorum aliquos in detegendis novis terrarum orbis regionibus, illuminandiſque populis, ac gentibus ſibi ſolis notis; alios in hominibus recens e ſylvis eductis ad omnem humanitatem informandis, alios in inſtituendis novis oppidis, amplificandiſque chriſtianæ reipublicæ terminis tanto animi robore, tantaque conſtantia, inſudantes aſpicies, ut jure exiſtimaveris, animi magnitudinem, exantlatoſque veterum terrarum orbis detectorum labo-

labores, conatuſque omnes nulla eſse ex parte cum Horum animi robore, infractoque pectore conferendos; cum ea, quæ in veteribus illis commendari a nobis, ſummiſque efferri laudibus ſolent, tanto hiſce ab Tuis intervallo diſſideant, ut illa ab humana virtute, quandoque etiam vitio, hæc ab ſola divina vi, atque ope proficiſci potuiſſe videantur.

Eſt et aliud a quo gaudium, voluptatemque Tuam vehementer excitandam optime noſti, Alexander Pontifex Ampliſſime, quodque ipſe jure exiſtimas eſse reliquis præferendum. Non modo ſcilicet tantarum rerum gloriam, celebritatemque, ſed quod maximum eſt, fructum etiam ad Te fraterno jure pertinere. Quare quoties Eos ſudore, ac ſanguine perfuſos integras gentes, ac nationes ad Supremi Numinis cognitionem, veramque religionem allicere, ac

trahere intueberis, toties Tibi felicem ſortem gratulaberis, quod in tantorum operum communionem, participationemque Ipſe veneris: cum quæ illi in ignotis illis, ac barbaris gentibus tanto chriſtianæ reipublicæ commodo egerint, ea non minus Tua ſint, quam quæ ipſe apoſtolico inflammatus ſtudio perfeceris. Leges igitur Eorum geſtas res ſane mirabiles, leges vero et fructus ſimul Tuos; cum neque illi ſibi ſolis inſudarint, neque tantorum ſudorum fructus ſibi ſolis adquiſierint, quos fraternæ Societatis vinculum efficiebat omnibus communes.

Atque hæc Tu ab illis. Ipſi vero in lucem rurſus prodituri, et a nobis præcipue avide, atque cum fructu excipiendi (patere Alexander Pontifex Ampliſſime, ut id dicam, quod argumenti ratio et poſtulat, et efflagitat, quocumque id tandem loco pro Tua Sapientia

ſis

ſis habiturus) Socios inter ſuos invenere neminem, a quo ornari magis quam a Te, decorarique poſſint: cum Te demum intueantur in excelſo Eccleſiaſticæ dignitatis, atque amplitudinis culmine collocatum, poſitumque ab Divino Spiritu Epiſcopum regere Eccleſiam Dei. Qui honos Te fugientem eſt potius inſecutus, quam Tu eundem ſtudio quærendum putares. Hujus ſiquidem onera, ſolicitudinem, curas omnes ſuſtinueras egregia nominis Tui celebritate, communique omnium probatione in Foro Cornelii Urbe Tua patria, cum Canonicatu, atque in ea Cathedrali Dignitate donatus minime exiſtimaſti officio fungi Tuo plane, perfecteque poſſe, niſi quam maxime de patria, de omnibus ordinibus, deque univerſa Diæceſi benemererere.

Novit quantum ab Ingenio Tuo ſtudiis, ac doctrinis omnibus excultiſſimo, quan-

quantum ab apoſtolico Tuo ſpiritu, ardentique animarum zelo polliceri ſibi deberet Maximus ille, æternaque memoria digniſſimus Antiſtes Eminentiſſimus Cardinalis Joan. Carolus Bandius, qui familiæ Tuæ Nobiliſſimæ ſanguinis propinquitate conjunctus, cum Te amoris, benevolentiæ, ſtudii ſignificationibus omnibus proſequeretur; in ſpiritualibus creditorum ſibi populorum commodis ſtrenue inſudantem cum videret; amplectabatur multo ardentius: expertuſque quantum, Te Theologo, publica res commodi, atque incrementi acciperet; Te eundem voluit in adminiſtranda Diœceſi Socium, ac comitem, et Vicarium, ut vocant, Generalem ſuum Te conſtituit; quam provinciam tanto tamque illuſtri omnium probatione adminiſtraſti, ut omnibus Canonicorum ſuffragiis ſolus delectus fueris, qui univerſam Diæceſim regeres, afflictoſque animos in

tam

tam chari capitis jactura erigeres, ac recreares.

Atque huic peramplo de Te, rebusque Tuis gestis omnium ordinum judicio cumulus accedere aliunde non poterat, quam ab Supremo totius Christianæ Reipublicæ Principe. Pius scilicet Sextus P. M. quem Deus diu sospitem servet, a quo promoveri summi cuique honoris loco esse debet, Zamensem Te Episcopum creavit, ut qui tot annos Pontificiam solicitudinem, curas, onera sustinueras, queis solis delectabare, honorem etiam, dignitatemque, quam numquam ambieras, obtineres: voluitque ut quantum a Te commodi, utilitatisque Foro-Cornelienses Tui acceperant, tantundem Comaclenses reportarent.

Hocce autem promovendæ divinæ gloriæ, ingerendarumque Tuorum animis virtutum omnium desiderium ardentissimum

mum

mum, hocce Tu erga fratres quondam Tuos maxime oſtendes, cum et hos glorioſa morte functos fraterno hoc beneficio proſequeris, et ſuperſtites eodem ad omnem virtutem provocaveris. Illi quidem extra omnem humanarum rerum jactum conſtituti, atque, uti certo confidimus, in tranquillo æternæ beatitatis collocati non tam ſui, quam omnium noſtrum cauſa noſtris oculis rurſus obverſabuntur, objicient denuo mentibus noſtris ea virtutum exempla, quibus inflammari animus, atque ad vias Domini perſequendas vehementer accendi ſoleat, oſtendentur iterum in hiſce Imaginibus, quæ quomodocumque adumbratæ, ſi probari a Te, ac nomine Tuo corroborari contigerit, novum induiſſe robur, novamque vim accepiſſe videbuntur, ut intuentium animi ad earum imitationem excitentur. Qua re nihil eſſe Egregiis illis viris opta-

tatius , nobis nihil excogitari poteſt utilius .

Fruere igitur Alexander Pontifex Illuſtriſſime , hiſce Sociorum quondam Tuorum Imaginibus , quas intueri magna ſine animi exultatione non poteris , cum jure exiſtimes eſſe Tibi glorioſum quidquid Socios illos imitatione noſtra dignos effecerit . Erit vero multo glorioſius , ſi ut dignitate nobis reliquis antecellis , ita etiam precibus Tuis ardentiſſimis obtinueris , præclara , atque illuſtria hæc virtutum exempla ita aſſiduo oculis noſtris objici , ut uberrimum inde fructum capiamus , neque ab eorum umquam imitatione deflectamus , quos ad veræ laudis comparationem divina quædam ſors duces nobis eſſe ſingulari dono , atque munere voluit .

ERRATA	CORRIGE
P. 21 lin. 6. et alias onore	onere
P. 46. l. 6. robote	robore
P. 57 l. 9. ejnlatibus	ejulatibus
P. 59 l. 28. desideris	desideriis
P. 61 l. 12. Sed	Sede
P. 71. l. 3. querellæ	querelæ
P. 93 l. ult. Catechesi	Catechesis
P. 110 l. 14 Callaici	Gallæciæ
P. 118 l; 13 Invocantiuns	Invocantibus
P. 162 l. 22. hones	hostes
P. 163 l. 8. reportari	reportati
P. 190 l. 13. Infinita	infinitæ

Die 1. Jan. 1788.
IMPRIMATUR
F. V. A. Cavalloni Vic. Gen. S. Off. Ferrariæ

Die 4. Jan. 1788.
IMPRIMATUR
D. Laurenti Vic. Gen.

INDEX.

P. Balthaſar de Moncada	*Pag.*	11
Joannes de Checa		31
P. Joſephus Reysnerius		43
P. Felix de Silva		64
P. Franciscus de Ribera		77
P. Jacobus Perez		88
P. Petrus Lizarraga		101
P. Michael Rodriguez		110
R. D. Balthaſar Marqueſius		121
R. D. Antonius Claramuntius		130
Emmanuel Quiros		140
R. D. Antonius Seſtierius		148
R. D. Joſeph Corſos		159
R. D. Bonaventura a S. Vincentio		173
R. D. Paſchaſius Ponze .		184

PRÆFATIO

PErmagni intereſt, ne interdum de virtute gloriemur, eorum nobis ante oculos exempla crebro objicere, quorum non modo ætatem conſecuti, ſed conſuetudine etiam, ac familiaritate uſi ſumus. Horum ſcilicet geſtæ res eximiæ plus ſunt habituræ apud nos virium, ac roboris, ut et ignaviam ſocordiamque noſtram caſtigemus; et ad ardua quæque accendamur, præ illis exemplis, quæ ab viris egregiis quidem, omnique laudum genere ornatiſſimis accepimus, ſed queis temporum, locorumque longinquitas tantum detraxit apud nos imitationis, quantum attulit juſtiſſimæ admirationis. Quis eſt enim, qui non jure miretur Apoſtolicos illos primæ ætatis Viros; illos ſolitudinis abditiſſimæ cultores, qui, ut verbis Apoſtoli utar, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti::: in ſolitudinibus errantes, in montibus,*

et ſpeluncis, et in cavernis terræ ? Qui difficillimos labores, graviſſimaque pericula inhiantes ; terrenis ſese omnibus, cogitationibus etiam ſpoliarunt, et ſolum ſibi Deum, proximorumque unam ſalutem proponentes impavidi aggreſſi ſunt, quæ humana natura refugere, et quibus præferre mortem etiam acerbiſſimam ſoleat ? Ut vero admirator iſte ab eorum ſequendis veſtigiis, capiendoque exemplo immunem ſese exiſtimet ; quanta ſolet inordinatus noſtri amor ab temporum diverſitate, atque locorum ; quanta ab hodiernis moribus, ac diſciplina cauſare ? Perinde ac ſi ſæculorum curſus divinam gratiam, cujus illa opera ſunt, imminuerit ; molliorque uſus vires ſpiritus extenuarit, ac prope extinxerit.

Horum nihil in rebus iis geſtis objicitur, quarum vel teſtes fuimus oculati, vel conſuetudine, contubernioque eorum uſi ſumus, qui earum nobis exemplum reliquerunt. Quis enim poteſt excuſandæ ignaviæ, ſocordiæque noſtræ eſſe locus, cum fateri debeamus, totum nos inter, et illos diſcrimen non aliunde, quam ab ignavia noſtra eſſe repetendum ; inſtructos nos abunde fuiſſe, ut quantam illi fortiter agendo, patiendoque laudem conſecuti ſunt ; eandem et nos conſequeremur, ſegneſque nos in ſuperandis iis difficultatibus extitiſſe, de quibus ipſi adeo gloriose triumpharunt. Atque hac cogitatione, exprobatione etiam validiſſima uſos ſe-

cum

cum fuiſse egregios Religionis noſtræ Hæroas , ut ad omnem virtutem inflammarentur, plurimis exemplis erudimur, quæ in Eccleſiaſticis faſtis paſſim occurrunt . Eadem ſacræ philoſophiæ magiſtri alumnos ſuos corroborari, atque ad ardua quæque amplectenda excitari poſſe ſemper exiſtimarunt, exemplum ſecuti Mag. Auguſtini, qui, ut memoriæ poſterorum ipſe reliquit, hac cogitatione et ſui pudore maximo ſuffundebatur , et vires inde accipiebat ingentes , ut ſegnitiem excuteret , Deumque ad altiſſima vocantem ſequeretur.

Ex duplici itaque hocce fructu , quem res aliorum præclare geſtæ afferre ſolent memoriam earundem ſerio repetentibus , cum primum nos ipſi cæperimus uberrimum , ac coacti fuerimus ignaviam, ſocordiamque noſtram crebro confiteri ; ut eodem ſemper admoniti ad alterius fructus adequendi ſpem maximam adduceremur , litteris mandare aggreſſi ſumus quæ ab ſociis quondam noſtris accepimus virtutum exempla, ex quibus cognoſcere facili negotio poſſumus exiguitatem noſtram, et ad difficilia quæque ſubeunda vehementer inflammari. Utriuſque autem commodi , atque utilitatis cum plurimum percipere nos poſſe exiſtimemus ex egregia eorum vivendi ratione , qui domi , qui in urbibus frequentiſſimis, qui inter gentes excultas ac moribus mites ſtrenue operam ſuam poſuerunt, nobiſque virtutum omnium exempla reliquerunt ;

uberiorem copiam nobis, judicio noſtro, exhibent Apoſtolici illi viri, qui illuſtrandis infidelium mentibus, et ad Eccleſiæ gremium reducendis operam omnem conferebant.

Hi ſiquidem viri fuerunt, qui cum humanæ naturæ terminos omnes prætergreſſi fuiſſe videantur, eandem multo glorioſius illuſtrarunt, quam qui ſive bellica, ſive doctrinæ laude apud ethnicos clariſſimi cum fuiſſent; divinis etiam honoribus digni exiſtimati ſunt; cum eam animi magnitudinem oſtenderint, quam priſci illi ne mente quidem fuere conſecuti. Namque terrenis ſe bonis omnibus exuere, valedicere æternum patriæ, propinquis, amicis, familiaribus, comi, doctoque contubernio, quo nihil eſſe ſolet in vita charius, jucundiuſque ſapienti; itineribus ſese committere longiſſimis, ignotis, laborioſiſſimis, in quibus fortuitus victus, iſque miſerrimus, quem vel radices ignotæ, vel arborum fructus ignotiores obtulerint; aquæ extrema quandoque inopia; hoſpitium nullum, nullumve tugurium, ducendæ ſub dio noctes, temporum inclementiæ omnes ſuſtinendæ; aſſiduum ab ferociſſimis belluis, venenatiſque animalibus imminens vitæ diſcrimen, penetrare in gentes ignotas, interdum barbaras, externorum ſanguinem crudeliter ſitientes, inter eaſdem verſari ſolum, inermem, nulla externa commendatione munitum, ſcientem etiam quam ſit gens illa et natura ſua volubilis, atque inconſtans

ſtans, et quam acriter ſoleat ab infernis hoſtibus adverſus ſacros miniſtros exacerbari: hæc ejus naturæ ſunt, ut illam præseferant animi magnitudinem, quam præter religionem chriſtianam, ætas omnis ignoraviſſe videtur. Eadem vero nobis, ſi quid ipſi videmur pro ſalute proximorum procuranda geſſiſſe, talem, tamque exiguam laborum, ſudorumque noſtrorum imaginem nobis exhibent, ut nihil ex illa gloriæ, plurimum certe animi demiſſionis hauriamus; excitemurque ad fortiter ſuſtinenda quæ nobis adverſantur haud grandia ab fortitudinis illius conſpectu, qua ſocii quondam noſtri difficillima aggreſſi ſunt, tantaque conſtantiæ laude ſuperarunt.

Illuſtrium talium Virorum, qui deſpectis terrenis omnibus rebus, ac humano prope comercio omni, excolendis ſilveſtribus populis inſudabant, triginta circiter extremis temporibus recenſebat Provincia olim Peruviana dicta in ſolo tractu illo vaſtiſſimo, quam regionem Moxenſium appellamus, et cujus fines ignoti adhuc ſunt, ignotæ etiam nationes, a quibus incolitur. Ab exacti ſæculi anno octogeſimo ſecundo, quo in eam regionem penetrarunt Socii Peruviani ad noſtri ſexageſimum octavum nationes ferme quinquaginta inventæ ſunt moribus, ac ſermone valde in ſe diverſæ: extructa immenſis laboribus, atque ſudoribus oppida duodeviginti, in quibus Chriſtianæ Religionis alumni, et Hiſpanien-

ſis Regis clientes ad multa millia cenſebantur. Hos ſylvis abditiſſimis eductos ſacris, profaniſque moribus erudiebant ſocii; edocebant non verbis ſolum (quæ apud illas gentes haud multum habere roboris ſolent) ſed factis, exemploque ſuo terram colere, lateres efformare, artes mechanicas ceteras, quibus carere bene conſtitutum oppidum maximo ſine detrimento non poteſt; edocti autem non modo exequebantur imperata, ſed eadem perficiebant etiam; namque gens illa quanto eſt ad inveniendum tardior, atque difficilior, tanto in inventis imitandis perficiendiſque eſt promptior. Meſſium, laborumque fructus omnes in commune conferebantur commodum, cum omnia eſſent fidelibus illis communia, nec ullus eos inter eſſet, qui vel divitiis, vel paupertate diſtingueretur. Singulis familiis quotidie ad victum neceſſaria abunde dividebantur nullo diſcrimine (ægris exceptis, quorum præcipua cura erat). Cultum corporis omnibus ejuſdem generis publica res familiaris ſubminiſtrabat, ex quo capite vitia, ac perturbationes plurimæ, odia, atque diſcordiæ, lites, et furta, quibus juſtitia, charitas, pax, et tranquillitas concuti, ac labefactari apud nos tam crebro ſolent, mala erant apud nationes illas prope ignota, cum prodire hæc ab infauſta cupiditatis radice ſciamus, cui in illo æquali omnibus regimine nullus patebat aditus. Quæ penſitanda erant Catholico Regi, ſtatuto tempore

vectigalia , ea , nullo privatorum incommodo publica res penſitabat.

Quamvis autem populi illi hac ſub regula feliciſſimi judicandi eſſent, multo feliciores jure exiſtimabantur ob chriſtianam eruditionem, qua ſumma aſſiduitate excolebantur . Erant omnes evangelicis inſtitutionibus mire eruditi ,neque ſolum quæ præcepta ſunt, ſed quæ etiam conſuluntur, acri contentione exequebantur . Summo mane antequam ad diurnam agrorum operam ſe conferrent, conveniebant coloni in templo, adſtabant Sacerdoti ad Aras facienti, precatoriam coronam B. Virgini omnes ſimul offerebant; catechiſmum uno ore recitabant . Qui in oppido reſtabant pueri præcipue, fæminæ , puellæque omnes præſtabant eadem medio mane . Templorum non nitore modo, ſed etiam magnificentia cum mirifice delectarentur neophiti illi, nullis parcebant laboribus, ut ea eſſent numeris omnibus abſolutiſſima . Ditiſſima amabant ſacra ſupellectilia ,utque feſti dies ſolemni omni pompa colerentur, nullum erat inſtrumentorum muſicorum genus, quod non ſolum quærerent, ſed uti etiam eodem in muſicis concentibus egregie diſcerent . Itaque qui populos illos inviſebant Epiſcopi ſtupore corripiebantur, cum viderent religioſas res in illis abditiſſimis, ſilveſtribuſque nationibus tanta devotione , tantaque majeſtate tractari ; nec temperare a lacrimis poterant ,quas et recens illa pietas exci-

tabat dulciſſimas, et ciebat uberrimas veterum aliorum chriſtianorum iisdem in rebus ſocordia. Erant utraque ſacra et profana populis illis omnibus communia, cum eadem omnes lege erudirentur: itaque, qui alterum ex illis oppidis luſtraſſet, qualis eſſet reliquorum ſtatus ex eo ſolo plane intelligebat.

Inſtitutum populum civili iſta, atque eccleſiaſtica forma ſudoribus illis, atque immenſis laboribus, quos facile quiſque ſibi perſuadebit, cum religioſis iſtis, ac civilibus moribus imbuendi eſſent homines, qui tot annos ſylveſtri libertate obduruerant, ac percalluerant, ſtatuto tempore proprio Epiſcopo tradebant ſocii, ut is genti illi curionem provideret, a quo in poſterum regerentur; ipſi novis adquiſitionibus accingebant ſese: penetrabant in remotiſſimas ſylvas, perque perruptos montes irrumpebant in regiones illas, in quibus latere ſylveſtres gentes intellexerant, vel poterant etiam ſuſpicari. Hac agendi ratione laborioſiſſima, crebriſque vitæ periculis circumſepta, reipublicæ chriſtianæ terminos plurimum amplificaverant Socii; evangelicique luminis fulgore illuſtraverant nationes fere innumeras paulo ante ſibi ſolis notas, ereptaſque infernis hoſtibus in tutiſſimo chriſtianæ Eccleſiæ gremio collocaverant. Quarum rerum geſtarum laudem, animique magnitudinem ſi quis dixerit immenſo prope intervallo majorem ea, quam celebratiſſimi orbis

bis terrarum domitores consecuti sunt; is profecto, meo judicio, probe intellexerit, quantum insit utrisque rebus gestis veræ laudis, ac gloriæ.

Horum Apostolicorum Virorum aliquot nobis occurrent, memoriam eorum pro instituto nostro prosequentibus, qui hisce viginti annis glorioſa morte functi sunt, quorum imagines ex rebus gestis saltem adumbratæ obversari menti nostræ non possunt, quin eorum imitandorum desiderio accendamur, excitemurque, ut fortiter sustineamus, quæ nobis commissa sunt minus illa quidem ardua, minusque difficilia. Ac ne viris illis illustribus de nobis ita benemeritis ingrati simus; posteris etiam nostris ne invidisse videamur fructus ex harum Imaginum imitatione referendos, easdem nostræ, posterorumque memoriæ commendamus, nobisque pollicemur uberem ex qualicumque hocce labore nostro fructum ad proximos etiam nostros redundaturum. Atque id est profecto, quod et præ oculis semper habuimus, et Deum Opt. Max. enixe obsecramus, quod si consecuti fuerimus, mercedem omnem nobis propositam retulisse arbitrabimur.

§.§§.§*

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filius obsequentissimus, quæ scribo, judicio ejusdem subjicio, et protestor, omnibus a me scriptis aliam non deberi fidem, quam quæ humanæ auctoritati præstari solet, juxta Decreta SS. D. N. Urbani P. M.

P. BALTHASAR DE MONCADA

VIrorum Religione clariſſimorum, quos Provincia quondam Peruviana anteactis hiſce annis viginti beatorum choris addixit, quod vehementer confidimus, agmen glorioſum ducit P. Balthaſar de Moncada, illuſtri loco natus an. 1683. in oppido Peruviani regni amplo illo quidem, cui nomen Caſamarca. Ab parentibus pietate, ac religione multo quam vetuſtiſſima nobilitate in illis regionibus clarioribus ita eſt a teneris enutritus, ut cum plurimum ordinis ſui ritibus, facilitate, ac comitate inſtrueretur, longe plenius in timore Domini fuerit eruditus, eaſque illa ab ætate arripuerit virtutes, quas ad ſenium uſque eſt conſtantiſſime perſecutus. At cum non hiſce modo, ſed liberalibus etiam artibus, ac diſciplinis pro ingenii acumine, quod maximum oſtendebatur, eſſet erudiendus, idque in patria conſequi haud facile poſſet; miſſus eſt Limam totius regni urbem principem, ubi florebant ſtudia Litterarum, et magna animorum contentione ab profeſſoribus egregiis ſcientiæ omnes

præ

præ reliquis urbibus tradebantur ſolertiſſime. Traditus eſt patrui cuſtodiæ, ut hujus etiam ſolicita cura quam domi acceperat eruditionem vehementius coleret, et procul abeſſet ab ſcopulis, in quos incauta ætas impingere facile ſolet, multoque facilius ii, qui adoleſcentuli ab oppidis ad urbes maximas transferuntur, quibus aſſidue lenocinatur inſidioſis coloribus falſus earundem ſplendor, ac fallax magnitudo.

Senſit ea etiam ætate Balthaſar quam facile eſſet in urbe deliciis omnibus affluentiſſima ab arrepto virtutis, honeſtatiſque ſectandæ propoſito declinare, cumque has terrenis omnibus dudum prætuliſſet; nihil animo verſabat crebrius, attentiuſque, quam rationem, qua et laqueos, quibus incauta capi ſolet ætas, evitaret, et in virtutis amore quotidie accenderetur ardentius. Hæc diu meditatus, terrenis omnibus valedicere ſtatuit, ſalvatoriſque noſtri exempla propius in religioſa vivendi ratione ſectari: cumque proximis etiam pro mentis, corporiſque viribus prodeſſe vehementer cuperet; Societatis Jesu Inſtitutum, quod utraque in re totum eſſe poſitum ſciebat, facile ceteris antepoſuit. Quod vero ſtatuerat, exequi inconſultis parentibus noluit, a quibus cum facta ei eſſet poteſtas, ut vocantem Deum ſequeretur, religiosæ vitæ tyrocinium aggreſſus eſt in eadem urbe die 18. Sep. 1698 cum ætatis annum vix quintum decimum

mum exceſſiſſet. Eam vivendi rationem cum ſuſcepiſſet perfectionis propriæ ardentiſſimo primum ſtudio, deſiderio deinde maximo procurandæ proximorum ſalutis; in id totus incubuit ut apoſtolicis miniſteriis dignus efformaretur. Itaque ſolidiores virtutes perſecuturus, totus ſuperiorum nutu regebatur; nec erat tot inter ſodales, qui paratior promptiorque ad quæ vocabatur accurreret. Sæviebat in tenerum, ac juvenile corpus ferreis ciliciis, cruentiſque verberationibus ejuſdem inordinatos motus omnes compeſcebat; quibus ſi ſuperiorum vigilantia modum non ſtatuiſſet, impares vires cito ſuccubuiſſent. Hauriebat huncce in ſubigendis corporis, animique motibus ardorem ab orandi ſtudio, in quod conferebat quantum temporis ab aliis curis vacuum nanciſcebatur, quodque ea ab ætate ſuſceptum, numquam ſenſim imminui paſſus eſt; accendi potius vehementius cæpit, cum nuncupatis Deo religionis votis, Philoſophicis, Theologiciſque ſcientiis navaret operam. Quarum ſcientiarum curriculum tanta omnium probatione confecit, ut et primos honores reportarit, et utramque ſcientiam ſit poſtea profeſſus, non minori ſui, quam religioſæ ſuæ familiæ nomine, ac celebritate; quam ipſe tamen tanti faciebat, ut ab Provinciæ Præpoſito ſummis precibus Sinenſes miſſiones poſtularet.

Erat ſiquidem Balthaſaris cura maxima corporis acerba tractatio, qua ad plenum ſpiritus dominatum

tum produceretur, ac præcipuo eam loco habere cæpit, exquo intellexit eam ad internam victoriam conferre plurimum posse. Adolescens dum scientiis dabat operam contubernali suo, conclavisque comiti persuasit, ut vix somno excitati venientem diem quotidie exciperent acri flagellatione, quod præstitum ab Balthasare aliquando est cum nullam adhuc corpori quietem concessisset. Nam cum socius citissime obdormisset, et paulo post expergefactus surgendi signum audivisse sibi videretur, Balthasarem nondum vestibus exutum, admonuit esse jam tempus, ut solita corpus flagrorum tempestate prosequerentur; annuit enimvero admonenti, confectaque pœnitentiæ illius exercitatione, suasit eidem ut requiesceret, cum quiescendi tempus, quod præteriisse ipse existimarat, vix incœpisset. Neque proinde solita sese exercitatione liberos surgendi hora credidere, cum primam illam errori, non justæ rationi adscribi maluissent. Erat hic Socius P. Petrus Blanco, qui Balthasaris contubernio, ac consuetudine tanto est spiritus ardore inflammatus, ut confecto studiorum curriculo Moxenses missiones petierit, in quibus spiritu plane apostolico insudavit; cumque quodam die ab socio suo interrogaretur, cur esset solito hilarior, atque alacrior? quia, inquit, Sanctorum vitas lego, qua lectione æternæ patriæ ardentissimo desiderio accendor: eodemque die ad eam est, ut speramus, translatus, quin ul-

lum

lum prius ægritudinis ſignum oſtendiſſet.

Ejuſdem acerbiſſimæ pœnitentiæ ductus ſpiritu cum Collegiis, provinciiſque præſideret, cumque pro auctoritate apud domeſticos ſervos (nigros vocant) valeret plurimum, arceſſebat eorum robuſtum, et viribus valentem; huic, impoſita prius ſilentii lege, et imperata ſtrenue exequendi, tradebat funiculorum manipulum ferreis acuminibus intertextum, et ita armato ſecreto, obſcuroque in loco jubebat, ut ſe nudum a capite ad pedes percuteret tunſione centeſima non pauciore, propoſitoque præmio ſi eſſet id executus acrius, acerbiuſque; namque ab dolore, plagiſque magis, minusve patentibus præmii ratio tota erat decernenda. Addebat cruentis hiſce flagellationibus ferrea cilicia, quibus nunquam corpus exuebat, addebat cruciatus alios, quibus modo digitorum ſummitas, modo caput, modo ceteræ corporis partes cruentarentur, quæ vulnera quandoque injecta liquefacta cera hiſpanienſi obducebat. Singulis ſabbatis etiam longævus omnium pedes deoſculabatur, ad quos poſt modum proſtratus prandebat; crebro ſe in triclinii limine ſternebat, ut ab egredientibus ſociis conculcaretur; qua in demiſſa exercitatione cum aliquando caput incaute in lapidis angulum impegiſſet, plurimo manare cœpit ſanguine, quin idcirco vulneris dolore a ſuſcepto opere deſiterit. Neque parcebat longis, diuturniſque jejuniis, quæ in Dominicis pervigiliis,

Bea-

Beatiſſimæ Virgiuis, atque Sanctorum Societatis ſolo pane, et aqua continebantur.

Acerbiſſimos corporis cruciatus ſequebatur par animi demiſio ceterarum virtuum fundamentum, quibus domeſticis prælucebat, externiſque, ſive ſubeſſet aliis, quorum imperata, vel nutus etiam, velut ab ipſo Deo fluxiſſent, exequebatur; vel præeſſe juberetur; quam præfecturam ab Servatore noſtro edoctus probe ſciebat novo ceteris miniſtrandi attentius titulo totam contineri. Hinc cum tyronibus magiſter adeſſe juſſus eſt; non exiſtimavit muneri ſe ſuo facere ſatis poſſe, niſi ii virtutes ab ejus exemplis didiciſſent, quibus exerceri deberent in arreptæ vitæ ratione. Obibat ipſe primus infima miniſteria, ſternebat infirmorum Nigrorum lectulos, eorundem ſordes abluebat, præſtabatque alacriter omnia, quæ ab ſervo ſuo polliceri ſibi vix quiſquam potuiſſet. Utque in hiſce demiſſionis, ac charitatis exercitationibus tyrones vehementius accenderentur, ingerebat crebro eorum mentibus Chriſtum pro nobis pauperrimum, Chriſtum humilem, Chriſtum toto corpore vulneribus conſoſſum, quem in ægris miſerrimis intuerentur. His animi ſenſibus in eos cum ferretur, amplectabatur eoſdem materna charitate, quin ulla eorum moleſtia moveretur, et ægrevalentes, afflictos, proſtratoſque in omnem dulcedinem effuſus erigebat.

Hæc cum paterent omnibus, et communi conſen-

ſenſione præfectus numeris omnibus abſolutus haberetur Balthaſar; juſſus eſt ab universæ ſocietatis Præpoſito Quitenſis Provinciæ adminiſtrationem ſuſcipere, quam tanta omnium probatione geſſit, ut ſocii illi prorogari Balthaſari præfecturam vehementer optarent, vel impediri ſaltem eundem ne Peruvianos ad ſuos reverteretur. At Quitenſibus ſociis virtutum omnium uberrimis exemplis ad religioſam perfectionem provocatis, cum Limam rediiſſet, coactus eſt ſociis ſuis præeſſe univerſis. Hos aſſiduis hortationibus, vigili ſolicitudine ut quæ ex Inſtituto erant perdiligenter tractarent, ac exemplis cum ad propriam ſanctificationem promoviſſet; inflammabat incredibili ſtudio, ut mentis, corporiſque vires, ac conatus omnes in proximorum ſalutem conferrent, ab qua procuranda nullis propoſitis laboribus, nulla difficultate deterrerentur. Neque hac in re illuſtrius eorum oculis objici exemplum poterat, quam quod ab præpoſito ſuo omnes accipiebant. Hic namque graviſſimis licet regiminis ſui curis diſtractus, quæ plurimum ſibi temporis, laboriſque poſtularent, ita proximorum ſaluti invigilabat, ut omni alio vacuus negotio videretur. Perſtabat immotus in excipiendis pauperum præſertim, inopumque confeſſionibus, quos mira alacritate amplectabatur, hoſce chriſtianæ religionis elementis. virtutum omnium regulis ſæpius iteratis informabat; alliciebat ardenti ſtudio ad amorem

honeſtatis, revocabat a vitiis, noxarum turpitudine mira dexteritate propoſita.

Hocce ſtudio, promovendæque divinæ gloriæ amore inflammatus, erexit religionis exercitia plurima, quæ pro humanæ naturæ conditione minus diligenter gerebantur, cum dudum conſtituta fuiſſent ingenti animarum commodo: Quæ inter ſodalitium Sacerdotum Limæ inſtitutum, quod apoſtolicorum virorum dici ſeminarium jure poteſt: mercatorum, Indorum, Nigrorum etiam pios conventus corroboravit, quos omnes crebris adhortationibus ad ſupernorum amorem, ſtudiumque inflammabat ingenti chriſtianæ rei commodo, cum vitia plurima funditus eradicarentur, inſereretur eorum animis chriſtiana pietas, et charitas. Utque trium horarum exercitium feria ſexta hebdomadæ majoris ad memoriam extremæ Salvatoris noſtri cum morte colluctationis, divinæque charitatis meditationem magno ſpiritus fervore perageretur ubi fieri jam conſueverat, ſatagebat diligentiſſime; ut idem toto Peruviano regno, et aliis etiam Europæ nationibus inſtitueretur, obtinuit indefeſſo ſtudio. Pentecoſtes diem ſolemniſſimum ingenioſa devotione colebat, ut fideles tanti feſti celebritatem agnoſcerent, ac Divini Spiritus auxilium, donaque implorarent. Ferebatur tenerrimo corde erga B. Virginem, ad quam crebro hortabatur omnes, ut tanquam ad chariſſimam matrem confugerent. Inſtituit ſacrum Novendiale,

quo

quo civium animi ad Dominicum Natalem diem celebrandum pararentur ; diem quoque reddendis Deo gratiis pro beneficiis toto anno acceptis .

Hiſce minime contentus , cum eſſet Limæ Exercitiorum Domus viris patens, qui octiduanis exerceri meditationibus vellent; aliam aggreſſus eſt non minus amplam, quæ ſolis fæminis deſtinaretur. Subjecerat ejus directioni Deus Mariam de Cordova fæminam Nobiliſſimam, quam cives ſui *Apoſtolicam mulierem* appellabant non immerito, cum in procuranda divina gloria, proximorumque ſalute totis viribus inſudaret, et plurima, quæ ab divina largitate accipiebat quotidie , bona in inopum ſublevandis anguſtiis, in reficiendis, reſtaurandiſque ſacris ædibus, in extruendis, ornandiſque religioſis domibus omnia conferret . Huic cogitationes ſuas aperuit Balthaſar, nec ſtimulo opus ei fuit , ut ad aggrediendum, perficiendumque opus ingens munificentiſſima Mulier accenderetur . Aureorum prope centum millibus Aſceterium extruxit, perfecit, ornavit, in quo exerceri ſimul percommode poſſent fæminæ ſupra octoginta, quibus abunde ſuppeditabat domus omnia, quorum uſus incidere octo illis diebus poſſet , ut cura omni ſolutæ , cogitationes omnes ſuas ad ſpiritualia converterent. Octies ſingulis annis patebat Aſceterium fæminis exercendis, quibus aderat Balthaſar ſcriptis regulis, crebris adhortationibus, meditandarum veritatum explanatio-

 nibus

nibus tanta conſtantia, atque ſpiritus ardore, ut cum ſpiritalia commoda inde referri ſolita civium, nobiliumque oculos maxime perſtringerent, utrique eum, ejuſque ſuſceptos labores, ſudoreſque maximos laudibus, ac congratulationibus ampliſſimis proſequerentur. Quot vero, quanti labores iſti, ſudoreſque eſſent, quot ingeniosa ejus charitas excogitaverit, ut optatus ex illis meditationibus fructus caperetur, incredibilia videntur, nec ſine ſtupore commemorat Emmanuel Buſtos Hiſpalenſis ejuſdem quondam in hocce miniſterio Socius, qui recordari Balthaſaris in hoc eximio opere ſolertiam, atque induſtriam, meminiſſe zelum maxima ſine ejuſdem commendatione non poteſt.

Nec vero res erat ullius negotii nobiles fæminas illo chriſtianæ perfectionis ardore inflammatas ad eximiæ erga proximos charitatis opera impellere, deſpectis quibuſcumque humanæ conditionis clamoribus. Eſt in urbe Noſocomium a *Charitate* dictum ſolis fæminis patens. Hocce ſibi propoſuit Balthaſar, in quo nobiles fæminæ omnibus charitatis, miſericordiæ, humilitatis, largitatis miniſteriis exercerentur. Erant quotannis dies aliquot deſtinati, in quibus ſingulæ matronæ commoda, utilia ad ægrarum ſolatium ac voluptatem etiam cum contuliſſent, hora ad hocce miniſterium deſtinata in Aſceterium concurrebant; inde unaquæque cum ſumpſiſſet quæ a ſe erant ad Noſocomium deferenda, fer-

ferventi omnes oratione ab Balthaſare ad publicum illud chriſtianæ charitatis exemplum rite peragendum inflammabantur, et ordinato agmine procedebant fidei, ſpei, charitatiſque actus elata voce iterantes donec ad Noſocomium pervenerant. Hic depoſito ab unaquaque onore ſuo, prandium ægris diſtribuebatur, quod ſuæ quæque matrona ægræ exhibebat, ferculum porrigens flexis genibus, et ejus manus deoſculans, tanto modeſtiæ, ac charitatis ſpiritu, ut opus illud intueri nemo uberrimis ſine lacrymis poſſet. Verrebantur deinde ab iiſdem conclavia omnia, abluebantur ſordes, omnia immunda vaſa purgabantur, impertitaque pingui eleemoſyna ægris ferventi oratione ad patientiam, perfectiſſimamque cum divina voluntate conſenſionem corroboratis, perfecto hocce chriſtianæ charitatis publico teſtimonio, unaquæque revertebatur ad ſuos.

Hocce impertito proximis auxilio mirifice delectabatur Balthaſar, cum pauperes omnes, etiam recte valentes arctiſſima charitate complecteretur, eiſque opem ferret quam poterat, maximam. Cum collegiis præeſſet, janitoribus edicebat, ut pauperem neminem præterirent, neminem dimitterent ſine dimidii ſaltem panis ſubſidio. Id cum rei domeſticæ curatori videretur aliquando non ferendum, cum domus inopia, ære etiam alieno gravaretur, et utrumque Balthaſari ſignificaſſet; tu interea, repoſuit hic, ut janitor ſemper panibus abundet pro-

videto, et pro certo habeas ad domus ſublevationem, et incrementum etiam nullam eſſe viam hac potiorem, brevioremque. Nec fefellit eum ſpes in divina Largitate repoſita, cum confecto regiminis ſui triennio præter ſpem omnem humanam collegium illud ſucceſſori tradiderit opulentum. Hoc eodem ſpiritu in alienam famam tuendam ducebatur, quæ erat ei ita ſacra, ut nunquam ex ejus ore verbum exciderit, quo alienus honor impeteretur. Quod ſi aliquando ſermo incidiſſet de errore, qui neque in dubium revocari, neque ulla defendi ratione poſſet, et ii loquerentur, quibus honor præcipuus jure deberetur; nos vero, ſubjiciebat Balthaſar D. O. M; enixe obteſtemur ne umquam Ejus auxilio promptiſſimo deſtituamur facturi certe pejora, ac turpiora; ſin autem vel ab æqualibus, vel ab inferioribus ſermo haberetur, admonebat eos officioſe, ut propriæ quiſque infirmitatis ſibi conſcius quas in alienis erroribus exprobandis curas fruſtra ſuſcipiebat, in propriis corrigendis poneret omnes; abſtinerentque ab argumento, in quo graviter offendi chriſtiana charitas facillime poſſet.

Eadem charitate ductus nominis ſui celebritatem nihilo pendens, et deliteſcere quærens, petierat enixe miſſiones Sinenſes; cum vero juſſus eſſet tradere Limæ Philoſophiam florentiſſimæ juventuti; huic muneri rite, abſolutiſſimeque obeundo ſic primas partes deſtinavit, ut eodem tempore operarii egre-

egregii partes ſumma omnium conſenſione expleverit. Itaque cum confecto Philoſophiæ curriculo Cuzcum mitteretur theologiam ea in urbe traditurus: obſtitere vehementiſſime Limani, precibuſque omnibus ab Provinciæ Præſide obtinuerunt, ut apud eos Theologiæ Profeſſor conſiteret, quos tanto ipſorum commodo excolebat.

Indefeſſam erga proximos charitatem fovebat aſſiduum meditandi ſtudium, exquo ad ſuſtinenda fortiter, alacriterque omnia, ad aggredienda difficilia quæque, quibus conſequi aliena ſalus, ac perfectio poſſet, inflammatus prodibat. Nihil erat, quod eum ab hoc ſtudio retardaret, cum vires omnes in apoſtolicis miniſteriis obeundis inde defumi oportere pro certo haberet, et crebro ſociis iteraret, ab corde hoc divino ardore non inflammato ſperandum non eſſe, ut quidquam prodiret, quo ceteri inflammarentur: inflammari autem unum quemque debere in aſſidua divinarum rerum meditatione, in ſui cum Creatore ſuo unione, ex qua ignis omnis cæleſtis hauriretur. Hoc proinde orationis omnimodæ ſtudium ſuis aſſidue commendabat, ab quo armari in hoſtiles aggreſſiones omnes, et ad difficilia quæque ſectanda corroborari uberrime ſentirent. Inde hauſerat ardentiſſimum illum amorem erga Servatorem noſtrum, cujus charitatis monumenta maxima recordari ſine cordis commotione non poterat: atque acerbiſſime torquebatur cum videret toties of-

fendi amantiſſimum Patrem in eo præcipue infinitæ charitatis pignore, quo corpus ſuum nobis in cibum, ſanguinem in potum reliquiſſet. Ideo Ss. Jesu Cordis cultum, ad hoc unice inſtitutum, ut quas poſſumus maximis gratiarum actionibus tantum beneficium proſequamur, et quantum in nobis ſit, illatas Eidem injurias religionis actibus ferventiſſimis conpenſemus, cum maximi faceret ipſe, auctor aliis eſſe non deſitit, ut utrumque fidelibus populis perſuaderent, quod ipſe præſtabat, divina eloquentia plenus, quoties argumentum iſtud tractabat, tractabat autem tanta aſſiduitate, ut quandoque pluries ſingulis diebus diverſis in templis de eodem ad frequentiſſimum populum verba faceret.

Hæc ipſe cum meditaretur tam vehementi quandoque igne accendebatur, ut cogeretur loca apertiora quærere, in quibus expatiari, mitigarique ardor poſſet, priuſquam omnis ſpiritui egreſſus, reſpirandique facultas intercluderetur: quo tempore erumpebat in vota, ac ſuſpiria, ex quibus facile intelligebatur quanto interno, divinoque igne inflammaretur. Aliquando ita ad ſuperna pertrahebatur, ut rapi extra ſe, et ſenſibus abalienari videretur. Contigit ut alter ex Sociis, quibus ipſe præerat, vehementiſſime agitatus, ut ſuſceptam vitæ rationem deſereret, in Balthaſaris tunc orantis conclave irrumperet, petiturus ab eo revertendi ad ſuos facultatem. At vix ingreſſo obtulit ſese Re-

ctoris sui conspectus tanta sensuum abalienatione orantis, ut nihil videret, audiretque circumfusus plurimo lumine, quo totum conclave illustrabatur: quo prodigio obstupefactus recessit, ab illa agitatione liber omnino, nec deinde dubitavit quanta sustinuerat certamina aperire, nec rationem, qua ab terribili pugna victor evasisset. Hinc illa facilitas, atque animi promptitudo, qua in proximorum procuranda commoda effundebatur, quorum votis aderat assidue, sui immemor, quietis omnis insçius, et quibus ne aliqua in re deesset, numquam dubitabat laboribus se committere viribus corporis multo majoribus.

Corpus tamen acerbe tractatum solatio omni volebat vacuum, nihil ei indulgens etiam eorum, quibus honestissime recreari posset, ac refici. Quare si pro gentis illius more dulciariis, vel munusculis quibuscumque prosequeretur, ea omnia in ægrorum, vel minus recte valentium, vel inopum auxilium conferebat. Habebat eodem ordine ministeria, quibus destinari ab præsidibus poterat, cum in exequendis strenue imperatis, non in rebus ipsis perfectionem omnem sciret esse positam. Itaque cum utriusque Provinciæ Quitensis, ac Peruvianæ præfectura functus Limanum Collegium maximum administraret, et jussus esset in Academia illa Theologici professoris partes subire, in ea etiam ætate nulla difficultate retardatus est ab exequendis impe-

peratis . Donatus eſt laurea theologica , docendique munus tanta contentione ſuſcepit; quantam ab vigentibus annis ſperare nemo potuiſſet; tanta deinde nominis ſui, doctrinæque commendatione, ut ab pluribus , et ſupremo etiam regionum illarum Fidei Quæſitore ejus ſuffragium, ac ſententia ſummis in rebus avidiſſime quæreretur ; quin propterea academicarum curarum acceſſione ab ſolitis illis quocumque in munere apoſtolicis miniſteriis retardaretur. Aderat nihilo ſegnius excipiendis confeſſionibus, tradendis ſpiritualibus exercitiis, aſſiduis ad populum cohortationibus; aderat carceribus, Noſocomiis, Parthenonibus, omnibus omnia factus ; neque orandi tempus , ſtudiumque contrahebat, aut minus acerbe ſævie.at in corpus, cum ex utraque exercitatione eſſet expertus, vires illas proficiſci , quibus ſine progredi longius non poſſet.

Pluribus in hoc orandi ſtudio a Deo exceptus cæleſtibus donis dicebatur , ac gratiis proſecutus , præſertim Mariæ Magdalenæ a Pazzis viſitationibus, quam ſanctiſſimam Virginem præcipuo cultu proſequebatur, et cujus patrocinium ut omnes ſibi adſciſcerent, ejuſdem virtutum imitatione diligenter ſatagebat; quæ innuiſſe ſufficiet , cum præter communem opinionem teſtimonium certius nullum habeamus , Ceterum futurorum cognitione fuiſſe a Deo illuſtratum , ne dubitare quidem poſſumus , cum hujuſce rei teſtes habeamus omni exceptione majores.

Gra-

Graviſſimo morbo correptus eſt aliquando, ab quo omnium, maximeque medicorum judicio ad certiſſimam mortem celerrime rapiebatur; cumque plurimi eum obſecrarent, ut ſui eſſet memor poſtquam fuiſſet cæleſti patria exceptus; atqui, inquit, ex hoc morbo adeo non moriar, ut poſt dies tres me convaleſcentem videritis: et ut ipſe dixit, omnium ſtupore factum eſt.

Proſecutus eſt ad portum Callai cum aliis e Sociis Patres, quos Peruviana Provincia Procuratores Romam, Matritumque deſtinarat; utrumque priuſquam navim conſcenderent, amplexus eſt inſolitis amoris ſignificationibus, quas adſtantes omnes mirati maxime ſunt. Dum Limam reverteretur, interrogatus a ſocio ſuo, cur id proficiſcentibus illis Procuratoribus tanto ſtudio præſtitiſſet; repoſuit, id a ſe præſtitum Patribus illis, quos amplius non eſſet viſurus cum eorum neutrum provincia exceptura rurſus eſſet: id eventus probavit; cum alter ex illis P. Jacobus Lerein Matriti; P. vero Franciſcus Martinez naufragus in mari obierit.

Vocavit ad ſe quemdam ex ſuis, quem dudum vexabat hoſtis infernus, ut ab ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto ad ſæculi turbas, atque diſcrimina revocaret; quas hoſtiles aggreſſiones nulli ipſe aperuerat cum jam prope manus dediſſet. Præſentem adloquitur Balthaſar internas ei quibus vexabatur pugnas aperiens, ac oſtendens horridam illam pro

cel-

cellam in ejus corde excitatam ab negligentia in exequendis minimis: cautior eſſet igitur, et ſolicitus magis, ſi frui pace vellet; et tene, inquit, quod habes, ne alius accipiat coronam. Quam recordationem ſolebat ſuis crebro ingerere, ut in exequendis, quæ religioſa ratio poſcebat, fierent diligentiores. Eadem vero ipſe utebatur tanta animi demiſſione, ut cum ignorare non poſſet quo loco ipſe ab reliquis haberetur, quantique fierent ejus in procuranda proximorum ſalute ſudores, tamen ſi quiſquam ſententiæ ejus manifeſta injuria refragaretur, obmuteſcebat illico; et aliquando minime veritus eſt uberrimis lacrymis peccatorum ſuorum confeſſionem palam facere, ac ſese maximum peccatorum profiteri, cum ea, quæ alios facile præteriiſſent, ipſi, ingrato ſcilicet tot acceptis beneficiis horrenda crimina viderentur.

Suſceptis tanta contentione iis omnibus, quæ ipſum ad perfectionis culmen, ceteros ad optimam frugem perducere poſſent, ac in laborioſiſſima vivendi ratione exercitus Balthaſar, cum indigenorum, exterorumque frequentiſſimis conſultationibus coram, et per litteras conveniretur, queis omnibus maxima qua pollebat prudentia ſatis ipſe faciebat cumulatiſſime ingenti omnium commodo, cum ad octogeſimum ſextum ætatis annum perveniſſet; audivit impavidus indici ſibi, ſociiſque ſuis exilii legem, quam regiam voluntatem tanta oris,

men-

mentiſque firmitate exequi ſtatuit, ut nemo eum maxima ſine admiratione intueretur, audiretque alios hortantem incredibili animi robore, ut oblatam crucem alacri, atque hilari animo ſuſciperent. Et ſane quis humanum exiſtimare poterit, tantæ ætatis virum aſſiduis laboribus fractum, acerbiſſimis cruciatibus ultro ſuſceptis prope extinctum, corpore adeo incurvato ut genua prope fronte contingeret, non moveri, cum et relinquere juberetur natale ſolum, in aliam mundi partem remotiſſimam navigare, valedicere populis illis, quos tot, tamque diuturnis laboribus, ſudoribuſque excoluerat, atque innumeris incommodis ſese committere, quæ vigenti ætati ſolent plurimum afferre negotii?

Equidem regii miniſtri tantum animi robur in eo corpore adeo fracto etſi vehementer admirarentur, arbitrati ſunt nihilominus humanitatis jura poſtulare, ut talis vir ad ſubeundam ceteris communem ſortem minime cogeretur. Juſſus eſt igitur P. Balthaſar cum ægris alio demigrare, remanſurus in illis regionibus quouſque ab morte non longinqua raperetur. At ille qui toto vitæ tempore communibus duci legibus ſemper optaverat, beneficiumque omne repulerat, nihil prætermiſit, quo perſuaderentur regii miniſtri, poſſe ſe Regis imperata exequi pleniſſime, nec dubitare ſociorum ſuorum conſortium, ac contubernium eas ipſi vires ſubminiſtraturum, quas minime poſſet ab fracto

cor-

corpore ſperare. Hæc cum magno animo ingereret, perſuaſit tandem. Conſcenſa itaque navi maris, terræque laboribus commiſit ſese omnibus, coactus deinde eſt aliquamdiu Carthagine immorari, ubi fractæ vires paululum reficerentur, quod urbis illius Prætor ſingulari humanitate ſtuduit ut adſequeretur. Refectis quoquomodo viribus cum ſibi ſatis firmus videretur; Prætorem inſtare non deſtitit, ut cito proſequi navigationem ſuam liceret; cum diſtractio ab ſuis eſſet ei quocumque morbo moleſtior, morte etiam ipſa acerbior. Annuit iteratis precibus Prætor, et conſcensa rurſus navi, præeuntes ſocios ſequebatur Balthaſar; paucis vero diebus poſtquam a portu ſolverat, correptus eſt morbo graviſſimo. Quanta jucunditate mediis in illis tribulationibus mortem præſtolaretur, non facile dixerim, cum in illa ætate tantum de ſe ſacrificium offerre Deo potuerit, et crucem arripere, qua nullam ſubiret graviorem; nihil ſcilicet habuerat in vita ſua charius quam dulciſſimam matrem Societatem, ad quam vocatum a Deo fuiſſe maximi ſemper beneficii loco habuerat; hanc vero ſedibus ſuis extractam, avulſam, exulem intuebatur pleniſſima cum divina voluntate conſenſione. At ingraveſcentibus morbi viribus ceſſit tandem natura; et exilii lege ſolutus ad cœleſtem patriam evolavit menſe Aprili an. 1768. relictis nobis tot virtutum exemplis, et nominis ſui commendatione ſingulari.

JO-

JOANNES DE CHECA

CAravacæ, quod Murciani regni oppidum eſt magni in Hiſpania nominis ob crucem divino beneficio oppidanis illis ab cælo demiſſam, maximæque apud populos religionis, natus eſt Joannes 20. die Julii 1688. ab parentibus, qui fortunarum tenuitatem chriſtianis virtutibus, ſummaque morum honeſtate cum conjunxiſſent; erant popularibus ſuis et exemplo, et honori. Acceptum ab Deo filium ita a teneris erudierunt, ut timorem, amoremque Domini in ejus corde altiſſime infixerint. Grandiuſculus primis litterarum elementis ut imbueretur ad ſcholam miſſus, ea dedit ingenii experimenta, quæ impellere parentes potuiſſent, ut filium ſinerent in ſuſcepto curriculo ad majora contendere, niſi ab rerum domeſticarum anguſtiis coacti fuiſſent eundem ab litteris ad agrorum cultum revocare. Libris itaque valedicere juſſus Joannes novam vivendi rationem pari contentione ſuſcepit, optime intelligens, ſibique perſuadens, hanc eſſe, quam ab ſe Deus requirebat operam, in qua fideliter exe-

quen-

quenda eſſet repoſita beatæ ſortis ſpes omnis. Fugiebat igitur otii vel umbram, et ut parenti laborum ſuorum comiti, ac ſocio opem quam poſſet maximam ferret, ſuſcipiebat quæcumque graviſſima. Quæ labore, ac ſudore quæſita ab divina Largitate ambo accipiebant, in domeſticos uſus vertebant, quæque abundabant magis, ea vel in foris vicinis vendebant, vel deferebant ad nundinas, ut eorum pretio alia ſibi providerent, quæ domeſticus uſus poſtulabat. Hac induſtria laborioſam ſane, ſed tranquillam ducebat vitam Joannes procul ab iis vitiis, quæ cum otium conſequantur, ſunt in ætate juvenili criminoſa non minus, quam crebra. At interea caſus inopinus eum ab illa vivendi ratione ad longe aliam pertraxit.

Jumenta aliquot quodam die frumento cum oneraſſent, viæ ſe commiſerunt ambo venditurі illud in nundinis, et empturi, quæ ſibi, ſuiſque erant opus. Intercidebat viam torrens, qui ſæpe prope ſiccus, montano tunc largo imbre tumidus excurrebat, ſupraque ripas alte effundebat ſese. Uterque vero rati tantam non eſſe aquarum altitudinem, quæ trajici vado non poſſet, iter proſequuntur. Sero admoniti ſunt erroris, cum nempe declinare jam periculum non poſſent, et ab rapidis aquis deferri ſentirent, ſublata omni facultate, ac ſpe etiam ripam ullam arripiendi. Humano omni auxilio deſtituti in adeo manifeſto vitæ diſcrimine, ſe, ſuaque om-

omnia divinæ Providentiæ committere, implorare ſupernam opem, precari, obteſtarique Angelos cuſtodes ſerventiſſimis votis; cum ecce mediis in aquis egregiæ formæ juvenem intuentur, qui dulciſſimis eos verbis ad ſpem omnem excitabat, arreptiſque habenis, primum jumentum ita duxit, ut cetera quam tenere viam deberent, edocerentur, atque in tuto littore omnia collocavit. Hic dum ab tanto periculo incolumes juvenem requirunt, quem juſtis gratiarum actionibus proſequantur, neminem viderunt, neque dubitarunt angelico auxilio referre acceptam communem incolumitatem.

Hocce divinum beneficium cum diu, noctuque mente verſaret Joannes, et cuſtodem Angelum aſſiduis gratulationibus afficiebat, et officiis cogitabat proſequi amplioribus. Ab ſummo illo periculo edoctus, terrenas omnes res deſpicere cæpit ardentius, eamque vivendi rationem cogitare, in qua arctius conjungi Deo poſſet. Itaque capeſſendæ religioſæ vitæ deſiderio, reliquit paternam domum, ſeque Matritum contulit, ut inter Societatis Jesu Tyrones adſcriberetur: cumque Provinciæ illius Præſidi vota ſua expoſuiſſet; daturus ſui experimenta juſſus eſt inter famulos domeſticos verſari, ſubire horum onera, obire miniſteria et infima, et gravia, voti compos faciendus cum Præſidum deſideriis feciſſet ſatis. Excepit promptiſſimo animo imperata omnia Joannes, verſatus eſt in laborioſo, et humillimo miniſterio ala-

criter, quamvis ſpei ſuæ terminus, quem vehementer optabat, quemque haud longe abeſſe arbitrabatur, quotidie remotior fieri videretur. Namque in ea patientiæ, humilitatis, laboriſque exercitatione verſatus eſt plures annos inſigni eorum, qui ejus conſcii erant vocationis, exemplo, cum neque ipſe datam ab præſidibus fidem urgeret, et munere dudum functi eſſent ſuo, qui dederant. Tandem ab Provinciæ Præpoſito juſſus eſt Tyronis veſtem induere, et prima ponere religioſæ profeſſionis fundamenta die xx. Feb. 1718.

Nihil eſt neceſſe dicere quanto ſpiritus fervore novam vivendi rationem ſuſceperit, qui ad eandem tanta ſolidarum virtutum exercitatione proluſerat; quantis Deum proſecutus fuerit gtatiarum actionibus, quod ejus beneficio ad optatum ſalutis portum appuliſſet: ut in iis referendis totus ad mortem uſque conſtanter exerceretur, id apud ſe ſtatuit: ab illis quæ ei injungerentur ne latum quidem unguem deflectere; opem ferre proximis quam poſſet maximam difficillimis etiam in rebus; et Deum in omnibus ſequi, Eique adhærere pleniſſimo corde, aſſidua cæleſtium meditatione quocumque in opere verſaretur. Silentium inde colebat ſtudioſiſſime, abſtinebatque ab omni in alienum conclave ingreſſu quoties miniſterii ſui ratio non poſtularet. Siquid temporis vacui nanciſcebatur, id totum vel meditationi, vel ſpirituali lectioni tribuebat: quid-

quid

quid juberetur arduum, ac insolitum aggrediebatur confestim, namque religionis ministeria omnia non alia, quam obedientiæ regula metiebatur, et sibi persuadebat, Deum imperantem et vires, et mentem abunde daturum, ut imperatis satis pleniſſime faceret. Hanc agendi rationem Joannes Tyro susscepit, ab eadem diuturnæ vitæ tempore nunquam discessit.

Obstrinxerat sese religionis votis, cum in matritensem curiam advenerunt Peruviani Procuratores inde Romam profecturi, ut cum universæ Societati Præposito de Provinciæ rebus, statu, novo Sociorum delectu ad missiones transmarinas pro more agerent. Hac occasione subit in mentem Joanni fieri posse, ut ejus opera minus esset inutilis in illis regionibus quæ temporalium coadjutorum inopia laborarent. At ne inconsulto quidquam hac in re decerneret, neve in tali negotio quidquam præter divinam gloriam præseferret; integrum negotium assidua magis oratione, ferventioribusque precibus Deo commendatum, Præpositi Generalis arbitrio commisit, ratus divinam voluntatem ex ejus consilio esse intelligendam. Addictus Peruvianæ provinciæ cum plane cognosceret quantis se laboribus committeret, divinum robur, auxiliumque implorabat ardentius, solitisque religionis exercitiis nova alia addebat, ut sustinendis arduis, difficillimisque rebus esset paratior. Hoc instructus spiritu navigationis

tionis incommoda, moleſtiaſque aggreſſus eſt alacriter, ſibi perſuadens officii ſui eſſe reliquis Sociis quamcumque ferre opem. Id unum præ oculis habebat, nulli deeſſe, omnibus præſto quantum valeret opitulari, neque ab miniſterio abſiſtere aliorum obmurmurationibus, ingrato etiam animo, cum quæ ageret ſolius Dei intuitu a ſe præſtanda cognoſceret. Quare etſi ſæpe (ut ſunt crebræ in diuturna navigatione moleſtiæ, et communia faſtidia) pro præſtitis miniſteriis, alicujus objurgationibus, exprobationibuſque exciperetur amaris, nihil propterea ab inſtituto ſuo remittebat, rem totam ad Deum referens, quam ſciebat rectæ mentis ſuæ, optimæque voluntatis eſſe conſcium. Neque tanta alacritas, et in miniſtrando conſtantia poterat non videri mirabilis iis etiam, qui utramque modis omnibus inſectabantur, quique paululum ab tedio relevati, virum de ſe optime meritum ſummis laudibus proſequebantur.

Sex menſium navigatione ſuperata, ad Callai portum appulit, cumque dies aliquot Limæ ſubſtitiſſet, quo tempore fractæ vires reficerentur, domeſticis rebus ruſticis deſtinatus eſt: quo in munere cum ſummo mane ſervos ad diurnum opus excitare deberet, eiſdemque præeſſe; ſurgebat ipſe e ſtrato ſuo multo maturius, ut præſcripta ab inſtituto ſocietatis meditandi hora muniret ſese ad certamina toto die ſubeunda; cum verſari inter eos neceſſe

ceſſe eſſet, qui moribus, corporis habitu, verbis etiam poſſent ei alicujus eſſe offenſionis. Urgebat ab unoquoque operam, aderat omnibus tanta modeſtia, ut vel ea ſola audaces, procaceſque cohiberet: Dei, Jesu, Beatiſſimæ Virginis nomina iterabat crebro eximia religione, ut operarii illi eorum recordatione ad juſta officia revocarentur, et ab verbis omnibus minus quam par eſt, honeſtis omnino abſtinerent.

Cum hic agendi cum ruſticis illis, ac ſilveſtribus hominibus modus ab iiſdem etiam maxime commendaretur, et ut vir eximiæ virtutis celebraretur Joannes; juſſus eſt ab præſidibus in urbem Limam remigrare, et in Tyrocinio prælucere adoleſcentibus virtutum omnium exemplis, emptoris interea partes ſuſtinens, promi deinde, quibus in muneribus et quanti faceret religioſam paupertatem palam oſtendit, et quanto ſtudio præſcriptas ipſi regulas exequeretur. Verſabatur in Tyrocinio perlibenter, nec minori tyronum commodo, qui ejus opera domeſticis in rebus ſolerti, ac diligenti reficiebantur, et ad virtutes omnes ſectandas ejuſdem exemplis mirifice excitabantur; cum eum intuerentur modeſtia, animi demiſſione, pleniſſima regularum cuſtodia ferventiſſimo cuique antecellentem. Hæc vero eadem præſides impulerunt ut Joannem, in Regium Nobilium Collegium demigrare juberent Janitoris munus ea in domo ſubiturum, quod eſſet ſummi

momenti, nec nisi probatissimo committendum. Erat frequentissimum illud Collegium in quo et urbani, et totius regni pueri ingenui eruiebantur non litteris scientiisque magis, quam religione, ac artibus quæ nobili generi decori esse debent, et ornamento. Vir in externis etiam exercitationibus cordis solitudinem quærere solitus, rumores fugiens omnes, qui animum mentemque possent ab perfectionis consequendæ studio revocare, plane cognovit quot quamque assiduis distractionum fluctibus eo in munere versaretur; at obedientiam ceteris omnibus cum anteferret, divino auxilio fidenter innixus subjecit se oneri, quod existimabat viribus suis multo gravius.

Equidem si umquam quanta, quamque firma ejus esset virtus apparuerat, hocce certe in ministerio facta est manifesta, cum plene, communique probatione satisfacere ei nemo possit, qui fidelitatem maximam maxima cum comitate; summam integritatem modestiamque summa cum facilitate, inflexilem constantiam eximia cum prudentia non conjunxerit. Superiorum votis uberrime respondere, veluti divino imperio sibi proposuit Joannes, nec aliter fieri a se posse existimabat, salvo, atque incolumi officio. Quod quam sit copiose consecutus et collegarum erga eum amor ac observantia, et præsidum de eo opinio ac sententia comprobarunt, qui Joannem ad octogesimum prope ætatis annum

eo

eo in miniſterio tenuerunt, a quo diſtractus non eſſet, niſi communis exilii lex interceſſiſſet.

Cum hiſce curis diſtraheretur, quæ diligentiores ſolent a propriæ perfectionis ſtudio retardare; vehementius ille religioſas colere virtutes cæpit, tantoque avidius, quanto ſciebat eſſe eaſdem perficiendo miniſterio ſuo magis neceſſarias. Coluerat ſemper tenerrimo amore paupertatem; tunc eam ſectatus eſt, quæ dona, quæ munuſcula omnia reſpuebat, eumque in plena libertate relinquebat id ſtrenue exequendi, quod muneris ratio poſtulabat. Ne fervor ſpiritus tam variis diſtractiſque rebus intepeſceret, ſurgebat media nocte, ac integram meditationi horam tribuebat, ſummoque ſtudio adlaborabat deinde, ut quæ interdiu temporis intervalla vacua nanciſcebatur, ea omnia orationi, meditationique concederet, ab qua exercitatione cæleſtia illa lumina hauſit, quibus vir litterarum plane rudis cum eſſet, integra duo magnæ molis volumina ſcripta reliquit de Natura hominis, quæ *Microcoſmos* appellavit, quæque doctorum virorum judicio tam profundis ſententiis, tantaque perſpicuitate ſcribere minime potuiſſet, niſi cæleſti lumine illuſtratus.

Hauriebat inde aſperrimæ pœnitentiæ ardorem illum, quo corpus in ſervitutem pleniſſimam redigebat; namque præter aſſiduum cilicium, nocturnam meditationem excipiebat cruenta flagellatio, ſequebantur crebra jejunia, neque corpori indulgebat

quidquam quod religiosa vivendi ratio ceteris non præscriberet. Quod si aliquando vel precibus aliorum coactus, vel quos colere debebat verbis eorum invitatus corpori aliquid extra ordinem concessisset; *hac nocte*, ajebat corpus alloquens suum, *voluptatis immerito expertæ dabis pœnas asselle*. In se vero ita asper, et acerbus cum esset, ferebatur in alios eximia charitate. Ut ægris diu noctuque ministraret primus inter omnes ab præsidibus postulabat: ferebat opem benevalentibus quocumque in opere, crebro obtestans se ad hoc natum fuisse, ut Deo, ac proximis suis quacumque in re famularetur, jure proinde posse unumquemque operam ab se exigere, quam reddere ipse teneretur. Quo tempore res rusticas administrabat, ingens terræ motus domos omnes, ac stabula solo æquavit perampio illo regionis tractu: ædificiorum ruinas, animalium cladem, reique domesticæ jacturam secuta est messium caritas. Confluebant undique et propinqui, et longinqui ad Joannem pauperes miserrimi, quos exitium illud diversorio, omnibusque ad vitam tuendam' necessariis spoliaverat. Facta ab superioribus potestate, omnibus ipse adfuit paterna pietate; quidquid reliquum trepidationis vis illi fecerat, id in aliorum subsidium contulit omne. Oneratis namque jumentis peragravit regionem illam omnibus opem ferens; neque enim largitate sua cassos eos voluit, qui convenire illum pro senio,

vel

vel fractis viribus non poterant; vel ædificiorum ruinis perculsi, atque prostrati loco se movere prohibebantur. Hisce vero corporalis misericordiæ operibus addebat etiam spiritualia, miseros eos admonens perhumaniter, ut Deum hisce terribilibus vocibus vocantem sequerentur, et illis calamitatibus admoniti terrena despicerent, et ad superna contenderent ardentius.

Diutius hocce in ministerio elaboravit in Regio Nobilium Collegio, nec sine maximo fructu. Erat apud ingenuos illos adolescentulos magno in honore, quem vivendi ratio honestissima ei conciliarat, et præcipuus amor, quo quisque diligi ab eo sibi persuadebat: audiebatur proinde attente cum vel eorum animi motus irrequietos temperaret, atque componeret, vel cum eosdem ad omnem christianam honestatem, ad scientiarum studia strenue capessenda hortaretur. Hæc ejus erant cum adolescentibus colloquia, quæ ab exemplis ipsius omnium oculis manifestissimis vim accipiebant maximam, ut optatus fructus consequeretur. Intuebantur siquidem virum gravem, qui sibi ægre valentibus ea præstabat omnia, quæ sperare ab solicita parente possent, quique sanis quocumque in ministerio opem ferebat maximam, quin ab eisdem præter officia exigeret, aut acciperet quidquam etiam oblatum; qui excitatas inter eos lites, atque discordias summa æquitate componeret, et ne debitas pœnas darent

rent cum obtinuiſſet, hoc collato beneficio utebatur, ut ipſi in ſtudiorum, ac honeſtatis regulis ſectandis fierent diligentiores, oſtenderentque jam ab ætate tenera, quantum ſibi publica res ab eorum ingenio, virtute, comparata doctrina poſſet polliceri.

Nec minori animi voluptate intuebatur Joannes quæ ejus opera Deus illis adoleſcentibus impertiebatur, certus in eodem miniſterio ad mortem uſque inſudandi, et vitam exigendi totam etiam in ultima ſenectute eodem ſerviendi omnium commodis ſpiritu, quo incoharat: cum Regia lege juſſus eſt cogitationes haſce alio vertere. Excepit inopinam ſortem ea mente, qua illi ſolent, qui ſibi perſuadent terrenas res ab Supremo Numine regi, dirigique omnes ad ſui gloriam, noſtramquc ſanctificationem; ſubjecit ſe penitus divinæ voluntati, paratus ſuſtinere æquo animo omnia, quæ tantam rerum viciſſitudinem conſequerentur. Quæ ſuſtinenda eſſent in longa navigatione incommoda dicerat dudum, neque ignorabat quas vexationes hiſce incommodis exulis conditio addere poſſet: omnibus ſese objecit vir octogenarius infracto robore, et cum ſociis reliquis navem conſcendit. At cum ſenile corpus pares ſpiritui vires exerere non poſſet, fractus, ac infirmus Joannes correptus eſt morbo poſt haud longam navigationem, cujus demum violentiæ ceſſit in mari die 25. Maj. 1768.

P.

P. JOSEPH REYSNERIUS

QUod haud raro eveniſſe ex eccleſiaſticis faſtis accepimus, ut amici, familiariſque mors inopina, aut funeſta ſuperſtitem ad meliorem frugem, magnam etiam ad ſanctitatem evexerit, id Joſeph Reysnerio accidiſſe cognovimus. Natus eſt Dilingæ nobili, atque illuſtri loco die 2. Feb. 1693. proque gentis conſuetudine liberaliter eruditus, cumque præfervidum ſortitus eſſet ingenium ad res maximas, difficileſque promptiſſimum; præmature relictis litterarum ſtudiis, quorum elementis erudiebatur, bellicam amplexus eſt diſciplinam vix exacto ætatis anno quartodecimo ſub Principe Eugenio Sabaudo Imperatore exercituum illo clariſſimo, qui hoc ineunte ſæculo Europam totam nominis ſui celebritate implevit. Verſatus eſt in Italico bello, et adoleſcens ea dedit animi roboris experimenta, a quibus polliceri ſibi quiſque in virili ætate fructus poſſet uberrimos. Reſcidit ſpes omnes infauſta amici mors, a qua cum didiciſſet Joſeph quam vanam, falla-

fallacemque gloriam in ea vivendi ratione hactenus esset persecutus; eam sequi multo ardentius constituit, quam nullus casus evertere, nulla rerum vicissitudo concutere posset.

Valedicto igitur profanæ militiæ, reversus est in urbem patriam, in qua, quod animo dudum statuerat, Societatis Jesu Institutum amplexus, Tyrocinium aggressus est. Quem ab terrenis, ac fluxis rebus omnibus plena distractio ad eam vitæ rationem impulerat, facile conjci potest quantus supernarum rerum amor spiritum inflammaret; Deo scilicet soli vivendum sibi statuit, divinæque gloriæ intuitu nullis laboribus, sudoribus, periculis parcere ad supremum usque vitæ spiritum in procuranda proximorum salute. Ad hæc duo referebat omnia; curas, solicitudines, exercitationes omnes eo revocaverat, ut tanto ministerio dignus evaderet. Itaque cum exacto tyrocinio philosophicis studiis daret operam, sensit accendi in corde desiderium, quo utrumque consequi facile sibi videbatur, insudandi scilicet Moxensibus missionibus, quod si adsequeretur et patriæ, propinquis, terrenæ cuicumque gloriæ eternum valedicere, et maxima posset pro aliena salute incommoda, ac pericula sustinere, quando martyrii palma, quam vehementer optabat inter barbaros illos dignus non haberetur. Supremo Societatis Præsidi cum desideria exposuisset sua, voti compos est factus; relictoque patrio solo; ter-

ræ

ræ marisque diuturnis difficilibusque laboribus alacris sese commisit, quos invicto robore sustinuit ad portum usque Limæ proximiorem.

Hac in urbe Theologica studia susceptit confecitque maxima domesticorum, exterorumque probatione, quos omnes sibi confestim conciliavit Joseph cum vivaci polleret ingenio, constans in studendi labore esset, tanta deinde comitate, morumque suavitate emineret, ut omnium oculos, ac studia ad se pertraheret. Nec sane res erat sine admiratione prætereunda, virum sub tam diverso cœlo enutritum regionis illius moribus ita accomodari, ut ea in urbe eruditus, natus etiam videretur. Confecto studiorum curriculo, tertio probari est jussus, quo tempore studiorum curas omnes excolendo virtutibus animo, locupletandoque strenue addixit; animo Moxenses suos assiduo volvens, quorum æternæ saluti procurandæ, spretis terrenis omnibus, vita etiam propria, dies suos omnes, omnes etiam sudores destinarat. Neque ceteris nationem hanc præferendi causa ulla ei fuerat præter majorem ab terrena quacumque re distractionem, et uberiorem laborum, periculorumque copiam, cum utriusque amor, ac desiderium ab Europa eum in illas regiones pertraxisset. Exposuit Præsidibus quæ animo conceperat vota, atque hi quamvis ægre viderent privari urbes viro, qui comparatis scientiis, ingenii acumine, virtutibus omnibus, et singulari co-

mi-

mitate plurimum poſſet optimæ frugis, plurimum nominis, ac gloriæ ſibi, ceteriſque comparare, tamen vocanti Deo parendum exiſtimarunt, patienter ferentes ut Joſeph ad Moxenſes ſuos proficiſceretur. Facta hac poteſtate viæ ſe commiſit leucarum prope mille tanto animi robote, atque alacritate, ut nequidem brevi quieti indulgendum exiſtimarit, quam in adeo longo itinere, ac perdifficili ceteri judicabant maxime neceſſariam; nec conſtiterit donec ad oppidum S. Crucis *della Sierra* pervenit, quo in oppido, cum ibi aditus ad moxenses regiones pateat, præſtolari Miſſionarii ſolebant præſidis ſupremi illarum regionum imperata. Cum vero in nationes illas ſermo noſter inciderit, quæ ſæpe occurrent; patietur inſtituti noſtri ratio, ut aliquid curſim dicamus de gentibus, ac vaſtiſſimis illis regionibus in quibus excolendis Peruviani Socii octoginta et amplius annos maximo chriſtianæ reipublicæ bono acriter inſudarunt.

Moxi, quod ii primum inter omnes tractus illius gentes chriſtianam fidem ſuſceperint, nomen dedere plurimis nationibus, quæ ut moribus, ita et linguis valde inter ſe diſſident, cum quadraginta prope idiomata inter eos uſurpentur, quorum nonnulla non minus inter ſe diſcordia, quam ab hebraico ſermo italicus, unde ingens moleſtiſſimuſque labor apoſtolicis illarum partium operariis accreſcit, cum inſudare aſſiduo in novis addiſcendis linguis

cogan-

cogantur, ſubeundus nihilo ſegnius ni pluribus inutilem ducere vitam voluerint. Hæ nationes, quarum nonnullæ bellicoſiſſimæ, crudeles, antropophagæ, vagæ; aliæ mitis ſunt ingenii, et hauſta ab natura urbanitatis, ac politices ſemina in commune commodum contulere, ampliſſimum incolunt terræ tractum ſub Zona torrida ab decimo quinto Equinoctialis lineæ gradu ad vigeſimum auſtralem verſus polum protenſum, longitudinis vero termini adhuc ignoti manent. Immenſam planitiem inundant crebro flumina ab montibus altiſſimis excurrentia, imbres quandoque copioſiſſimi, a quibus, cum difficilis pro ſitus humilitate aquis pateat exitus, excreſcunt paludes vaſtiſſimæ, quarum humore et nimio, et marcido, proque ardentiſſimo ſolis ardore tota regio inſalubris peſtiferis ſæpe morbis depopulatur. Nec tellus fruges, arbores, aut belluas ſuſtinet Europæ pro utilitate notas, ſi ſolum bubulum genus excipias. Flumina multiplicis generis piſces alunt; ſilvæ ferarum crudeliſſimarum, inſectorum genus omne veneno mortifero armatorum, quibus tamen tellus ipſa exhibet ſua antidota. Scimiarum carnes fumo paululum exſiccatæ præcipuas inter epulas referuntur; panis vinique adeo nullus uſus, ut nomen ipſum gentibus ignotum, quin propterea ebrietatis vitio laborent minus quam ceteræ gentes, cum eam repetant aliunde ſucci cujuſdam nimio potu, et ad quindecim quandoque dies producant.

In hanc vaſtiſſimam regionem tot ſæculis ignotam primus irrupit V. P. Cyprianus Barace Navarræus ex oppido Yſaba diæceſis Pampelonenſis, qui Societati Iesu adſcriptus Tarracone Tyrocinium cum incæpiſſet an. 1671 confecit Limæ, votiſque Deo nuncupatis, Sacerdos eſt conſecratus II. Junii 1673. Hic ſocio ſibi adſcito P. Petro Marban, et Coadjutore Caſtillo, ingens opus aggreſſus eſt, ad cujus difficultates, laboreſque maximos in ſumma rerum omnium caritate ſubeundos præter animi robur ſingulare, ac invictum, vitæ contemptus aſſiduus erat omnino neceſſarius. Poſt multorum dierum navigationem 25. Martii 1682. appulit ad locum in quo, cum ſexcentos Moxenſes ad fidem perduxiſſet, deinde oppidum extructum eſt, cui a B. Virgine Lauretana nomen inditum, in quod paulo poſt duo millia convenerunt. Erexit novis neophitis et Sanctiſſimæ Trinitatis oppidum haud minus infrequens; penetravit in Coſeremonianos, Cirionos vagos, atque feroces, Quarayos antropophagos ac bellicoſos, Toros, Amazones, quodque referebat plurimum, invenit Baures, a quibus, dum eorum in chriſtiana religione eruditionem ſatagit, appetitus ſagittis, et lethali vulnere in capite percuſſus glorioſa morte functus eſt vigeſimo octavo apoſtolatus ſui anno, ætatis ſexageſimo primo, die vero 16. Septembris, quo die ab Eccleſia memoria colitur Cypriani martiris, cujus ipſe nomen referebat.

Nec

Nec minori ſtudio inſudabat interea illarum nationum eruditioni Petrus Marban, qui cum in gentem incidiſſet, in quam dæmon pleniſſimo dominatu ſæviebat, ſeptem integros annos, quibus inter barbaros illos delituit ſæpiſſime ad mortem quæſitus, interdicto ei igne, et aqua, et in denſa ſilva plurimos dies ſolis radicibus victitans, cum ex illis quatuor millia hac illac diſpersa ad veram Chriſti fidem imminenſis laboribus traxiſſet, et unum in oppidum congregare vellet, dæmonis fraudibus magna ſui fructus parte privatus eſt, et iis, qui in arrepto propoſito perſtitere, oppidum inſtruxit, quo tradito alteri miſſionario, cum novam ipſe in eas nationes aggreſſionem ſuſcepiſſet, graviſſimo morbo correptus, atque ab neophitis ad oppidum reductus morbi violentia extinctus eſt.

Horum itaque, eorumqne qui ſuſceptum opus tot laboribus, ſudoribus, tantiſque vitæ periculis proſecuti ſunt, aſſiduis curis exſurrexerant jam oppida duodeviginti ampliſſimum regionis illius tractum, diverſaſque nationes complectentia, quæ vero iisdem inſtitutæ regulis, eodemque regimine ductæ ita conſentiebant in omnibus, vt qui oppidum unum luſtraſſet, parcere laborem ſibi poſſet percurrendi alia, ſi eorum ritus, moreſque noſcere vellet. Omnes namque primorum chriſtianorum ritu vitam in bonorum omnium communione ducebant ac laborum, tanto omnium commodo, quantum

litteris tradidit Cl. Muratorius opuſculo quod inſcripſit *La Chriſtianità felice*, cum Paraquarienſium mores, ritus, legeſque, æconomiam ſacram, profanamque traderet: quoniam nationes utræque iiſdem legibus regebantur.

Is erat earum miſſionum ſtatus, ad quas Joſeph ſese accingebat, dumque quo iter dirigeret ſuum, expectat, apoſtolatum propius intuens, otii illius dies ducebat integros in meditatione imminentium laborum, ad quos divina virtute corroborandum animum ſciebat: hanc proinde aſſiduis precibus implorabat exhibens ſupremo Numini cor ab caducis omnibus vacuum, paratum vero, ac promptiſſimum ſubeundis quibuſcumque laboribus, atque vitæ periculis, ut gentes illæ ad certam ſalutis viam vocarentur. Quam mentem duplici inniti veluti fundamento oportere, ajebat ipſe, conſtantiſſimo ſcilicet propriæ perfectionis ſtudio, et pleniſſima in ſubmiſſione erga eos, quos præſides haberet. Interea ſortis ſuæ nuntius inſolita eum lætitia eſt proſecutus; namque ſocius eſt addictus Didaco Ignatio Fernandez egregio inter ceteros viro, qui cum potiorem vitæ partem Moxenſes inter exegiſſet, et curiam Matritenſem, Romanamque univerſæ Provinciæ ſuffragiis paucis ante annis adiiſſet, honoribus quibuſcumque, quieti, et vitæ etiam Moxenſium ſuorum ſpiritale commodum præferens, eaſdem miſſiones repetierat egregio omnibus exemplo,

vitam

vitam vel pro neophitis ſuis, vel inter eos poſiturus. Hujus viri clariſſimi ductu ab Europa in Americam navigarat Joſeph, eodem duce apoſtolatum ſuum aggreſſurus naviculam (canoam vocant indigenæ) conſcendit cum indis illis, a quibus per flumen, quod *magnum* vocant, ad oppidum quod a S. Ignatio dicebatur, duceretur.

Hunc profectionis ſuæ diem, quo ſibi videbatur ab hoc terrarum orbe penitus proficiſci, et in alium penetrare, quem uberrimum laborum, periculorumque ſciebat, quibus autem nihil erat ei antiquius, optatiuſque, recordabatur Joſeph interdum, eundemque appellabat totius anteactæ vitæ lætiorem, jucundioremque, cum ad eam ſe adductum rerum omnium diſtractionem videret, eam ante oculos haberet laborum, ac ſudorum meſſem, quam tamdiu optarat, requiſieratque ſolicite. Longa in navigatione inviſendæ erant aliorum Sociorum ſtationes, qui in illis regionibus egregie apoſtolici miniſterii partes omnes implebant; hos obſervabat attente Joſeph, ut eorum agendi rationem cum ſilveſtribus illis gentibus omnem hauriret, exultabatque gaudio cum videret inter eas gentes adeo ignotas florere chriſtianam religionem ea pietate, ac charitate, quam primis Apoſtolorum diſcipulis accepimus fuiſſe non minus glorioſam, quam familiarem. Cum tandem ad hujuſce itineris metam appuliſſet, exceptus eſt peramanter ab Didaco Ignatio, a quo

cum juberetur corpus curare longis laboribus fractum, reponebat ipse non ad otium, sed ad labores maximos se a Deo in illas regiones missum. Itaque gentis illius linguam tanto studio, tantaque contentione suscepit, ut pro ingenio, quc maximo instructus erat, brevi ad populum verba facere, eorum excipere confessiones facile potuerit. Utque socium ætate gravem, ac longa defatigatione cadentem quacumque posset ratione sublevaret, suscepit in se temporalium rerum molestias omnes, ægrorum curam omnem; reliqua deinde ministeria, quæ vigentes vires requirerent.

Hanc vivendi rationem laboriosissimam persecutus est aliquot annos, cumque nullus esset quieti locus, sibi videbatur vitam ducere otiosam, cum præsertim inter eas gentes versaretur, quæ ferocitatem prope omnem exuissent, ipse vero desiderio arderet martyrii. Volutabat animo in silvestres, et ignotas adhuc gentes penetrare; cum vero totus ab superiorum nutu pendere vellet, hujusce desiderii significationem dumtaxat interdum exhibebat. Ut votis ejus aliquo modo fieret satis, jussus est ab missionum Præside novæ stationi, cui a *Patrocinio* nomen, præesse, quæ cognitæ regionis erat postrema, constabatque Herizeboconibus, quæ natio inculta, et moribus erat ab ejus indole valde alienis. Suscepit alacriter novam provinciam cujus difficultates maximas haud ignorare poterat, quasque ut

ag-

aggrederetur, cogebatur linguæ novæ omnino elementis exerceri. At nihil ei arduum obverſabatur, cui vires, conatuſque omnes non objiceret, divino auxilio ita innixus, ut omnia ab hocce ſolo ſperaret; vires ita exerens ſuas, ac ſi hiſce ſolis confici res tota deberet. Compoſitis gentis illius rebus; cum ad difficiliora contenderet; aggreſſus eſt in interiora nationum illarum penetrare, quibus nullum adhuc ſacræ legis lumen affulserat.

Mentem robuſtiſſimis illius gentis neophitis cum aperuiſſet; corripuit omnes ſtupor maximus ad facinoris conſpectum, quod exiſtimabant propriis viribus longe majus, objiciebant apoſtolico viro indomitas feras, viperas, et id genus belluas alias prope innumeras præſentiſſimo veneno armatas; ſuperandas immenſas ſilvas, ſentibus aditum omnem intercludentibus, tranſeunda vado flumina, et rapidiſſima, et incerti ſoli; obvias paludes doloſo cæno ampliſſimas, in quas qui improvide incidiſſet, ſine validiſſimo aliorum auxilio extrahi non poſſet: aggredi tandem ingerebant opus, cujus exitus incertus, cum nationes quærerentur, quæ ubi conſiſterent, ſciebat nemo; qua vero peterentur via nulla, nulla etiam ſemita oſtendebatur. At quæ objiciebantur difficultates inflammare potius ejus ardentiſſimum zelum, quam retardare, aut cohibere potuerunt. Itaque cum dierum decem meditationibus ſolito ferventioribus ſese exercuiſſet. indixiſſetque

neophitis ſuis, ut hoc tempore omnia ad profectionem neceſſaria pararent, tenerrimo ſtudio cum ſocium amplexus fuiſſet, cui Eccleſiæ illius curam tradebat, pedes viæ ſe commiſit. Paucis poſt profectionem diebus, ſpinis, ſentibus, cæno, locorumque aſperitate crepidis jam conſumptis, ocreiſque ad genua uſque nudus iter eſt proſecutus, quin propterea quidquam ex alacritate remitteret, quæ comites ad omnem ſpem erigeret, et vires adderet fractis nutantibusque donec ad copioſum flumen ventum eſt, quod niſi natatu trajicere nemo poſſet. Iuſſis ſociis, ut ſibi quiſque provideret in tranſitu, Joſeph, cui nullus erat natandi uſus, ſigno crucis armatus aquis ſe intrepidus commiſit, et obſtupentibus ceteris mira celeritate ad oppoſitam ripam appulit, ubi conſtitit paululum, et redditis Deo gratiis pro omnium incolumitate, oras fluminis tenens ad locum tandem pervenit, in quo domicilium ritu ſuo poſuerat gens ad illam uſque diem ignota.

Quanta hoc invento affectus ſit lætitia Joſeph, difficile dictu eſt; conjici tamen ea poteſt ex ardore, quo tantis ſese objecerat laboribus, atque periculis ſola illius inveniendi ſpe illectus. Utque plenius eſſet gaudium, invenit, genti illi communem eſſe cum populo, cui præerat, linguam, ex quo tanto citius ad veræ religionis explanationem ferebatur. Cæpit donariis, ac munuſculis gentis ſtudia ſibi conciliare, arreptaque omni occaſione ex cogni-

gnitione creaturarum eorum mentes ad Creatorem perducebat ; ſedulo interea animadvertens gentis indolem, ritus, et qua tenerentur ſuperſtitione. Ex his cum intellexiſſet eſſe haud procul nationem aliam diversæ ſane linguæ, ſed pacificam, et quæ vicinis ſuis nullius umquam eſſet moleſtiæ; ſtatim eo ſe conferre ſtatuit, utque aditum ſibi præpararet, neophitum præmiſit linguæ peritum, qui gentis Ducem de adventu ſuo faceret certiorem. Hic cum repoſuiſſet poſſe Miſſionarium pro libito tuto ad illos penetrare excipiendum certe perhumaniter; Joſeph ſumptis ſecum ex neophitis aliquot, et indigenis illis, illuc ſe contulit, Orottos (hoc eſt nationi illi nomen) veræ religionis lumine illuſtraturus.

Hæc erat profecto gens, quam tot per labores, atque vitæ diſcrimina requirebat ; namque dudum ab altero ex neophitis ſuis, qui quondam ad regiones illas pervenerat, cognoverat, gentem eſſe eam ad omnem humanitatem compoſitam, ac indolis adeo docilis, faciliſque, ut fidei, religioniſque dogmata celeriter videretur exceptura. Equidem progredeunti obviam venit gentis multitudo, a qua ritu ſuo ſalutatus perhumaniter, ductus deinde eſt ad Ducis domicilium, ab quo cum ſociis ſuis ita eſt comiter, ac liberaliter exceptus, ut tantam in ſilveſtri illa natione lenitatem, liberalitatemque mirari ſatis non poſſet. Itaque quoties in ſeceſſu ſuo

vacabat ſpiritualibus exercitationibus, erumpebat modo in uberrimas lacrymas, quibus effundebat ſe-se gaudium, quod claudi corde, ac contineri non poterat; modo enixis precibus divinam implorabat miſericordiam interpoſita B. Mariæ Virginis interceſſione, ut gentem illam uberrimo divinæ gratiæ lumine perfunderet, quo ad veræ religionis gremium traheretur; Ad id etiam præparabantur gentes illæ neophitorum ſermonibus, qui Miſſionariorum vivendi rationem, et quantam de gente ſibi tradita curam, quantamque ſolicitudinem gererent crebro eis memorabant, et attenta, maximaque cum voluptate audiebantur, ex qua facile apparebat, quam eſſet gens omnis ad ſuſcipiendam veram doctrinam parata.

Uſus eſt Joſeph hac nationis illius optima indole diebus, quibus eos inter versatus eſt; excoluit gentem religionis elementis, oſtendit ſalutis viam in excipiendo propoſito lumine poſitam, quoque ab eis audiebatur attentius, eo accendebatur ardentiori deſiderio totam illam nationem ad Chriſtum perducendi: cum vero temporis anguſtiis premeretur, nec diutius verſari eum inter Orottos gentis ſibi creditæ curæ, et præſidum imperata paterentur, de diſceſſu cum aliquid innuiſſet; ſenſit quantum verba ſua divinæ gratiæ beneficio apud illas gentes valuiſſent: namque receſſum audire maximo ſine animi dolore non poterant, et omnium ora mærore

ſuſ-

ſuffundebantur, quoties id accidere debere audiebant. Erat id quidem Joſeph acerbiſſimi doloris, cum ab parata jam meſſe uberrima diſcedere cogeretur; at eis bono eſſe ſanimo juſſis, promiſſoque maturo reditu cum iis omnibus, quæ ad oppidi conſtructionem eſſent neceſſaria, quo convenire, commodeque verſari gens tota poſſet, deductus eſt ab magna frequentia ad locum diſceſſui deſtinatum, unde communibus omnium lacrymis, ac ejnlatibus diſtractus uberrime et ipſe flens ad Herizeboconos viam arripuit, a quibus mæroris, doloriſque ſignificationibus omnibus exceptus eſt; intellexerant enim Miſſionarium diu apud eos non mansurum, cum ipſi longa ejus opera frui ſibi eſſent polliciti. Octo quibus ea in gente commoratus diebus, ſtuduit, ut jacta religionis ſemina altius infigerentur, reliſtoque ſui ingenti deſiderio, ægre ab eis avulſus eſt, quorum aliquot viæ, laborumque comites eſſe voluerunt, ut opem ei ferre quocumque in diſcrimine poſſent, et teſtes eſſent oculati ſolicitudinis; ac ſingularis amoris, quo commiſſi ſibi populi commodis omnibus inſudabat Joſeph.

Noctes tanto tempore ſub dio actæ; dies ſub ardentiſſimo ſole ducti, decidentibus quandoque imbribus copioſis, viarum labor, ac difficultas, cum communium ciborum caritate, quibus refici fractæ vires poſſent; cultus etiam corporis lacer, tuendoque corpori ineptus id tandem effecerunt, quod timeri

meri certe debebat. Correptus eſt febri in hoc itinere, cui mederi non poterat in tanta inopia rerum ad victum etiam neceſſariarum. Æger corpore, animo autem invicto ad oppidum Patrocinii ſibi commiſſum pervenit. Ibi vis morbi graviſſima apparuit, tamque ardenter febris exarſit, ut de ejus vita conclamatum non immerito crederetur. Violentiſſimo morbo aliquanto recreatus in febrim incidit prope aſſiduam, ab qua lente licet, in mortem certiſſimam rapiebatur; cum viribus deſtitutus, ad ultimam eſſet infirmitatem redactus. Fuit alio transferendus ex ſuperioris ſententia, ut ſub cœlo benigniori experiretur, quid poſſet ab ejus valetudine ſperari. Ceſſit ex ſententia, namque haud multo poſt, extincta febri, in priſtinas vires convaluiſſe viſus eſt. Itaque cogitationes omnes ſuas ad eas nationes convertit, quas primus ipſe inviſerat, et quibus auxilium omne erat pollicitus. Hiſce vero ut moras injecerat diuturna ægritudo, ſic obſtabat nova præfectura ejus curæ commiſſa, cum e vivis exceſſiſſet Lauretani populi præſes, nec eſſet in promptu alius, qui ei ſuffici poſſet linguæ illius peritus præter Joſeph. Differri hoc pacto videbat ardentiſſimum, quo aſſidue agebatur deſiderium excipiendi in Eccleſiæ gremio prædilectas illas gentes: at ut erat obedientiæ cultor eximius, in hac ſola adquieſcebat, ſperans in dies qui eum ab novo onore liberaret, et facultatem faceret exequendi, quod adeo

arden-

ardenter optabat. Interea, ne tanti fructus ſpes dilaberetur, aut longius protracta eſſet alicui æternæ jacturæ occaſio, Dominico Mayrio commiſit, ut, quoniam ipſe præſtare non poſſet, gentes illas adiret, et ſuſcipiendæ divinæ doctrinæ paratas neceſſariis religionis elementis erudiret, eruditaſque in chriſtianæ Eccleſiæ gremium ſacro baptiſmate ablutas reciperet, quod præſtitum eſt egregie, ſingularique omnium voluptate, quæ majorum adquiſitionum ſpem maximam faceret, cum in nationes incidiſſent, quæ barbariæ præter ſilveſtres mores, incultoſque haberent nihil, præseferrent vero plurimum indolis ad omnem virtutem accomodatiſſimæ.

Dum hæc præſtolatur Joſeph, excolebat commiſſum ſibi populum tanta ſolicitudine, ut religiosa familia, eaque optime inſtituta videretur, animorum conſenſione, mutua charitate, morum æquitate, et religionis in rebus, ſacrorumque participationis aſſiduitate. Curabat diligenter, ut quæ inſtituta erant Sodalitia pietatis, ac miſericordiæ operibus exercerentur pro inſtituti cujuſque ratione, ex quibus plurima ad univerſum populum commoda redundabant. Horum conſpectu vehementioribus deſideriis inflammabatur, ut quotquot erant in remotis illis regionibus incognitæ nationes Chriſtianæ fidei luminibus illuſtratæ, atque ab latebris eductæ tot bonorum participes fierent.

Hiſce vero apoſtolicis curis, ac deſideris, ardentiſſi-

tiſſimis finem attulit dies, in quo juſſi ſunt Miſſionarii omnes abditiſſimas illas terras relinquere et convenire ad S. Crucem *della Sierra*, unde omnes ſimul ex regio decreto iter quingentarum leucarum erant ſuſcepturi. Quanto animi dolore confixus ſit Ioſeph tantæ rerum viciſſitudinis nuntio, mente concipi facilius, quam exponi verbis poterit; cum paratam jam uberrimam meſſem haberet, et multo etiam ſperaret uberiorem, ad quam tantis ſe laboribus, ac vitæ periculis paraverat. Augebant dolorem, mæroremque deſertionis juſtiſſima formido, et jactura certiſſima tot neophitorum, cum et magnitudo laborum deterrere etiam robuſtos ab illo opere procurando, tuendoque poſſet, et nemo eſſet in promptu qui illud ſuſciperet ob tot diverſiſſimarum linguarum imperitiam. Hiſce funeſtiſſimis cogitationibus cum paululum confectus hæſiſſet; brevi ſe divinis judiciis penitus ſubjecit, atque in iisdem conquievit crebro ingeminans, ab paterna divina Providentia, quam infinitam eſſe ſcimus, ſperandum nobis eſſe, tribulationes haſce maximas in noſtrum proximorumque majus commodum redundaturas. Hiſce certiſſimæ ſpei monitis ſublevabat navigationis ſocios con-Miſſionarios ſuos, quibus diſtractio ab illis populis tot ſudoribus a ſe excultis, erat quacumque morte acerbior; donec ad S. Crucis oppidum perventum eſt.

Relictis ratibus, ſuſcipiendum hinc erat terreſtre

iter

iter perlongum, atque difficile, crebris perruptis montibus intersectum, quod benevalentibus, et vigentis ætatis viris moleſtiſſimi eſſe ſolet negotii. Imperata aderant ab regiis miniſtris jumenta, quibus inſidentes miſſionarii ad urbem Limam transferrentur. At Joſeph præter ſenilem ætatem, exceſſerat enim annum quintum ſupra ſeptuageſimum, et fractas tot laboribus, angoribusque corporis vires, jumentorum uti upe nullo pacto poterat, nec iis inſidere in tanta viarum difficultate ſine certiſſimo lapsu. Statuerunt propterea regii miniſtri, ut geſtatoria in ſed defferretur. Arreptam ergo ſellam duplici vecti armarunt, et hac ſedens Joſeph ab quatuor robuſtis hominibus deportabatur, qui tamen crebra vertigine cum laboraret, alligandus fuit ſedine in aſſiduo montium adſcensu, deſcenſuque decideret. Quantum vero violentis hiſce motibus concuteretur, quantoque labore ſurſum deorſum deferretur difficile dictu eſt: ipſe tamen invicto robore inſtructus, et ardentiſſimo acerbiora ſuſtinendi armatus deſiderio non modo tot incommoda ferebat alacriter, ſed aſſiduis ſocios adhortationibus corroborabat, ne animo concidentes ullam tantæ frugis partem male perderent, ſibi feſtive ingerens Dominicum illud: *cum eſſes junior cingebas te, et ambulabas quo volebas, cum autem ſenueris alter te cinget*. Hiſce difficultatibus tanta conſtantia ſuperatis, in urbem Limam delatus eſt.

Inde

Inde conſcenſis navibus cum Sociis in Europam navigaturis, Carthaginem Americanam cogitabat, cum occidente ſole die 17. Mart. 1768., navis, qua vehebatur in arenosa vada tanta vi offendit, ut gubernaculum e cardinibus ſuis validiſſimo impetu extractum tabularum maximam partem diruperit, quæ lectulum, in quo eo temporis Joſeph dormiebat, efformabant. Inopinus caſus, quem inconditi nautarum clamores, voceſque poſtremam rerum omnium deſperationem præſeferentes ſequebantur, facile perſuadere ſemiſopito potuit eſſe omnibus commune naufragium. Implorata Beatorum ope in eo miſerrimo rerum ſtatu, quaſſata licet, et rimoſa navis naufragium declinavit. At repentina internorum omnium agitatio ſuborta cum languens Joſeph corpus, viribuſque deſtitutum corripuiſſet; lethali cito correptus eſt morbo, cui mederi ars nulla potuit. Excepit proximæ mortis nuntium ſumma tranquillitate, ad quam generali totius vitæ expiatione paravit ſese, et perfectiſſima in Divina voluntate conformatione Euchariſtiæ Sacramento tanto ſpiritali gaudio corroboratus eſt; ut ad reliquos Socios adſtantes uberrime redundaret. Creſcebat interea vis morbi violentiſſima, et Joſeph inter dolores internos, quibus torquebatur, atque ad mortem celerrime rapiebatur, effundebat cordis affectus in tenerrimos amoris actus; iterabat ſæpe fidei, ſpeique affectus, implorabatque Beatorum

opem

opem, præcipue S. Joſeph, et ſingulari religione affabatur B. Virginem, cujus ſub patrocinio ſe ſuaque omnia volebat conſtituta. Sacro inunctus oleo cum proximam reſolutionis horam intueretur; Chriſtum e Cruce pendentem manu tenens adlocutus eſt tam teneris, ardentibuſque affectibus, ut qui adſtabant et religione replerentur, et vix tenere lacrymas, ſingultuſque poſſent, donec tandem extinctus eſt morte placidiſſima 14. Mai. An. 1768. ætatis ſuæ 77. quorum triginta quatuor in Moxenſibus erudiendis, tanta laude, fructuque poſuerat; ſepultuſque eſt Carthagine in America in Templo Collegii quondam Soc. Jesu.

P. FELIX DE SILVA

ANimi demiſſionem quam Virtutem humilitatem dicimus Chriſtianam, excelſarum mentium eſſe propriam definierunt morum Philoſophi, qui ejus naturam rectius perſcrutati, vulgares opiniones caſtigarunt minus peritorum, qui nobiliſſimam virtutem, plurimumque magnanimitatis præ se ferentem cum animi infirmitate, fortunarumque inopia confundentes, eandem rudibus, ignaris, vili, abjectæque plebeculæ propriam, et quaſi jure ſuo convenientem judicarunt. Horum vero error, ut et recta illorum judicandi ratio manifeſte oſtensa eſt in P. Felice de Silva, cujus Imaginem adumbrandam ſuſcipimus. Natus eſt Limæ XI. Kal. Dec. MDCCIII. familia in ea urbe conſpicua, et ab teneris annis ea ſolicitudine eruditus, quam gentis ſuæ ratio poſtulabat. Emicuit etiam in tenera ætate inſolitum ac prope ſingulare ingenii acumen, hocce, præter memoriam ad prodigium uſque fidelem, ſequebatur diſcendi ardor, ac ſtudium adeo indefeſſum, et conſtans, ut ſolis libris delectari, ſolas

ſolas ad ſcientias arteſque liberales natus videretur. Hoc litterarum amore facile ab nugis, ludiſque diſtrahebatur, quibus rapi quandoque etiam minus innocenter ætas puerilis ſolet, et tener animus in diſcendis primis artium elementis omnino intentus, alia ne cogitabat quidem, quæ ut ab conſtanti ſtudio, ita etiam eum potuiſſent ab morum innocentia avocare. Itaque quamvis in eo ſtudiorum curriculo plures nactus eſſet ſocios comiteſque ingenii acumine præſtantiſſimos (ut eſt Urbs illa vulgo fœcundiſſima ingeniis ad omnes ſcientias promptiſſimis) eminebat inter omnes tanto intervallo, ut præceptorum ſuorum ad ſe oculos, præcipuumque amorem converteret.

Adoleſcentulus Oratoriæ, Poæticiſque præceptis uberrime inſtructus dum ſecum cogitat ſæculi pericula, et quantis obnoxia ſit procellis æterna ſalus cum terrenarum rerum voluptate abducimur, eam ut in tuto collocaret, et ut indulgere genio ſuo liberalius poſſet, quo ad ſcientias omnes ferebatur, ſtatuit amplectendum Societatis Inſtitutum, in quo utrumque facile conſequi poſſe ſibi videbatur. Vota cum expoſuiſſet ſua, factis de more experimentis, inter Tyrones adſcribi juſſus eſt Limæ Kal. Jan. MDCCXX. Suſcepit maxima contentione novam vivendi rationem, cumque præter ceteras virtutes animi demiſſione delectaretur, hanc ſtuduit quam conſequi divino beneficio poſſet maximam,

et ad quam comparandam acceperat manſuetudinem, indolis lenitatem, agendi cum aliis comitatem, animi amplitudinem nullis terrenis rebus circumſcribendam, tantamque facilitatem, ut omnium amorem, ſtudiumque conciliaret ſibi, ac devinciret.

Excultus religioſis inſtitutis ac regulis cum Philoſophicis, Theologiciſque ſcientiis navaret operam; maximam de ſe opinionem excitavit, atque ab magiſtris non minus ſuis, quam ab ſtudiorum ſociis ingenii, ac doctrinæ veluti portentum habebatur, cum quæſtiones maxime arduas, ac perdifficiles mira celeritate percurreret, eaſque non minori auctoritatum copia, delectuque exponeret, ac confirmaret. Nam fœcundiſſimum ingenii acumen uberrime locupletabat tenax illa memoria quæ annos ante plures excepta promptiſſime fideliterque exhibebat. Quanta vero ipse memoriæ conſervanda traderet vix dici, aut credi poteſt. Ita namque in librorum lectione, præter quam nullum prope ſolatium noverat, immergebatur, ut quandoque integras noctes duceret inſomnes, quin id animadverteret, dies quoque prope integros, et ad veſperas horas legens perduceretur, quæ primo mane incæperat. Confeſſus eſt quondam familiariſſimo ſuo quater ſe Eximii Doctoris volumina omnia evolviſſe: quantum vero in Patrum, Conciliorum, ſacrorum interpretum lectione ſtudioque eſſet verſatus teſtabantur omnibus integræ paginæ ab eo memoriter recitatæ,

quo-

quoties occaſio tulerat, tanta fidelitate, ut legere, quæ diceret, videretur. Hujus et ſtudii, et memoriæ experimentum dederat clariſſimum cum adoleſcens, primo ſcilicet philoſophici curriculi anno, quindecim feriarum diebus, ita integrum Philoſophiæ curſum evolvit, ut paratus eſſet ſui periculum ſubire, et reſpondere quæſtionibus omnibus, quæ triennio toto exagitari ſolent. Æquior hæc de ejus ingenio, ampliſſimaque doctrina ſententia viſa eſt cum Felix Philoſophiam, ſacram deinde Theologiam publice profiteretur. Siquidem hoc docendi munere ut appareret, neceſſe erat quantum ipſe utraque in re valeret, cum et crebro externis concertationibus adeſſe oppugnator deberet, et alienas etiam aggreſſiones ſuſtinere palam, ac diluere propugnator cogeretur. Id vel maxime oſtenſum ab eo eſt Limæ, ubi frequentes hæ occaſiones ab religioſis familiis offerebantur, frequentiores vero nactus eſt ipſe cum florentiſſimæ illius Academiæ Theologiæ Profeſſor delectus eſt. Quoties ille ſuſtinere partes ſive actoris, ſive patroni deberet, ingens ad theatrum fiebat concurſus eruditiſſimorum virorum, quos Felicis doctrina, ac nomen convocabat; nec umquam audiebatur, quin omnium conſenſione ſingularis ingenii, ſingularis etiam doctrinæ eruditioniſque profeſſor appellaretur, dignuſque, quem Magiſtri omnes revererentur, ac colerent.

Hanc tantam nominis celebritatem, quam præ-

ter ingenii acumen, fideliſſimamque memoriam aſſiduum ac prope incredibile legendi ſtudium fovebat, tuebatur Felix non tam ſui, quam religiosæ familiæ, cui adſcriptus erat, intuitu, cuique omnem operam ſuam debere ſe arbitrabatur, ne quid umquam ei ſplendoris, ac gloriæ culpa ipſius, vel ignavia detraheretur. Inde quæ officii erant ſui ſatagebat vel maxime, ut quam fieri poſſet perfectiſſime agerentur: nullis parcebat laboribus, et quantum ingenio, doctrinaque valebat, id totum ad opus conferebat. Præſtabat id multo diligentius ardentiuſque cum aliis præeſſet, ſive ii eſſent Scholaſtici noſtri, ſive externi noſtrorum curæ commiſſi, in Seminariis præſertim Cuzcenſi, et Limano, quibus præfuit ingenti alumnorum illorum commodo, quos verbis, exemploque ſuo ad aſſiduum ſtudendi laborem provocabat, ut rebus præeſſe publicis ſuo tempore communi omnium utilitate, et ſumma cum laude poſſent. Nec irritus ejus conatus fuit, cum sub eo rectore alumni illi adeo egregia adeptæ doctrinæ experimenta dederint, ut ſpes omnium ſuperaſſe viſi ſint.

Solus interea ipſe ſibi videbatur plurimorum ignarus, exiguæque doctrinæ; certiſſimam illam veritatem exemplo ſuo confirmans; minimam ſcilicet doctrinam ad tumorem, maximam vero ſapientiam ad animi demiſſionem conferre plurimum. Hac ſui humili opinione inductus, cum inter plures dilige-

re-

retur, ut in florentiſſima Limana Academia publici Theologici Profeſſoris partes ſuſtineret; expoſuit præſidibus quam impar eſſet ipſe tanto muneri pro dignitate ſuſtinendo; ſugeſſit nonnullos alios judicio ſuo multo paratiores, qui munus illud propria, et familiæ totius cum maxima laude gererent; nec delectui ceſſiſſet, niſi qua humilitatem, eadem religione præſidibus ſuis exhibendam obedientiam coluiſſet.

Eodem ſpiritu ductus cum conatus omnes ſuos ad res perfectiſſime agendas contuliſſet, quam inde eſſet laudem relaturus, aliorum arbitrio relinquebat. In oppugnandis aliorum opinionibus modum ab omni faſtu valde alienum, comitatem etiam, atque urbanitatem maximam oſtendebat: et ſi in adverſarium forte incidiſſet, vel minus expediendæ propoſitæ difficultati paratum, vel ancipitem circa rationem, qua aggredienti adverſario occurreret, remittebat ipſe ſtatim ex argumenti vi, contrahebat vela, ſignificabat etiam viam, qua vel dilui aggreſſionis vis, vel exarmari poterat. Quod cum nonnulli moleſte ferrent, eique exprobarent eam agendi rationem, quæ et ſibi palmam victoriæ eriperet, et dubia plura inſoluta relinqueret; reponebat ipſe tanti ſe non facere inanem prorſus, et puerilem illam gloriam, ut eam vellet cum proximi ſui pudore, moleſtiaque nanciſci. Erat ſiquidem eximiæ in proximos charitatis, quam miſerrimam, nullam etiam futuram exiſtimabat, ſi ſolis terminis a natura præ-

ſcriptis circumſcriberetur. Amabat ſuos, diligebat exteros, de utriſque pari ratione benemereri ſtudebat rerum etiam ſuarum jactura ſi opus eſſet, cum pro charitate nihil æſtimaret ſuum. Nec ubi quis natus fuiſſet, ſed qua ratione adjuvari, promoverique ad majora poſſet, cogitandum eſſe dicebat, cum diverſa agendi ratio ab chriſtianis moribus valde, ab religioſis vero plurimum abhorreret: neque in hunc miſerrimum errorem incidere ullum poſſe præter eum, qui terrena ſtudia non exuerit.

At neque hæc Felicis moderatio, neque comitas, et alacritas, quibus opem ejus requirenti cuique præſto aderat, neque agendi ratio, quæ probari ab omnibus, commendarique maxime deberet, tueri atque defendere magnitudinem ingenii, ac doctrinæ inſolitæ potuerunt, qua ceteris omnibus profeſſoribus maximo intervallo antecellebat. Imo cum apud quoidam ingenium ampliſſimum, et præexcellens doctrina criminis maximi locum obtineat, hæc eadem pro humana infirmitate invidiam inflammavit eorum, qui obumbrari, vel opprimi etiam ſuam gloriam ab meritis adeo ſingularibus, conſpicuiſque arbitrabantur. Publicis in Diſceptationibus in quibus Felicis ingenium, ac doctrina maxime emicabat, torquebatur acrius quorundam animus, qui cum neque argumentis, neque juſta ulla, aut honeſta ratione ab merita eum poſſent laude dejicere, aggrediebantur temere conviciis, ac maledictis, quæ

vel

vel infimum e plebecula dedecerent. Perſtabat ad hæc omnia immotus Felix, quin vel impudentiſſimus quiſque ullum ab eo querellæ, vindictæ, aut doloris verbum extorqueret: audiebat male tractari; ac ſi ſolis illis congratulationibus ſe, ſuaque omnia digna judicaret, humillime, ac patientiſſime ſuſtinebat.

Quod vero nihil negotii faceſſere patientiſſimæ Felicis humilitati videbatur, qua etiam ejus gloriæ invidi ad majorem audaciam abutebantur. non ferendum diutius et acerrima caſtigatione coercendum viſum eſt graviſſimo cuidam Viro Religioſæ familiæ Profeſſori Clariſſimo. Hic namque cum ſemel, iterumque audiviſſet propoſitis ab Felice difficultatibus ſane graviſſimis ab quibusdam ſolis conviciis, contumeliiſque reſponderi; æquitatis, modeſtiæ, patientiæ defenſionem in ſe publicam ſuſcepit. Igitur cum quodam die in publico certamine qui Patroni partes gerebat pro reſponſione argumento propoſito, Felicem inſectaretur iniquiſſimis verbis; ſurrexit ipſe e loco ſuo, et auctoritate, qua pollebat, maxima, cum profeſſus eſſet mirari ſe vehementer Felicis modeſtiam, patientiamque in aggreſſionibus adeo iniquis ſuſtinendis, intollerabilem non minus, ſubdidit, videri ſibi eorum audaciam ecfrontem qui religioſis virtutibus abutentes in eum invehere maledictis non verebantur, quem veluti magiſtrum colere omnes, ac veluti Virum ſanctiſſimum reve-

reri deberent. Veneram, inquit, paratus alio prorſus argumento: at modo mutata voluntate, eodem utar, quod ab P. Felice eſt propoſitum, et ſolutionem urgebo experturus an quis futurus ſit tam ferrei oris. qui mecum audaci hac ſolvendarum difficultatum ratione uti audeat. Hunc juris ſui patronum nactus eſt Felix, virtutis autem ceteros omnes, quos livoris virus non infecerat, aut alienæ gloriæ ſplendor non obcæcarat.

Hæc vero licet æquiſſima inflammandæ invidiæ potius, quam leniendæ erant apta pro vitii hujus funeſti, crudelique natura: cum enim ea in majorem inviſi laudem redundarent; livorem eorundem exacuebant vehementius, cui ut ipſe quantum poſſet mederetur; præſides ſuos obteſtatus eſt enixe, ut munere illo levaretur, quo fungi ſine eorum ſtomacho non poterat, quos armari in ſe quotidie iniquius, et jura nulla humana, aut divina revereri gravi cum aliorum offenſione intuebatur. Ceſſurum ſe honori illi Academico perlibenter; ceſſurum et urbi patriæ, et quod reliquum eſſet vitæ tempus daturum alacriter erudiendis religionis in rebus Nigris, qui ruſticis rebus dabant operam. Id cum non poſtularet modo, ſed efflagitaret etiam, obtinuit in prædium demigrare, quod primo ab urbe lapide aberat, intereſſe vero juſſus eſt rebus academicis quoties muneris ſui ratio poſtularet.

Solitudinem, et ab urbe otium colebat Felix ſumma

ma voluptate, ejuſque fructus capiebat uberrimos cum in ſervis illis erudiendis, tum in excolendo animo cæleſtium meditatione. Ducebat otii dies in aſſidua cogitatione acerbiſſimorum cruciatuum, quos paſſionis ſuæ tempore pro nobis tanta charitate ſuſtinuit Salvator noſter, atque in hiſce totus hærens mente, cum rationem, qua ſenſus ſuos exponeret; quæreret, doctiſſimum, ac ferventiſſimis ſtudiis exundantem integrum tractatum de Dominica Paſſione ſcripſit quem publica luce digniſſimum, et omnibus maximæ utilitatis crediderunt quotquot legere, præter ipſum, cui res omnes ſuæ inutiles, nulliuſque pretii videbantur. Eodem ſtudio proſequebatur B. Virginis gloriam, laudeſque, de quibus cum crebro uberrime loqueretur, cum verba ad populum faceret alacriter, quoties ejus ſermo requirebatur, olim integro menſe locutus eſt tanta doctrinæ amplitudine, ut quotidie novus ad dicendum venerit ingenti ſtupore auditorum. In dulciſſimæ Matris Conceptum Immaculatum ferebatur ſingulari religione, eumque plurimis eſt proſecutus tractationibus, quas partim ſibi reſervavit, partim ſcholaſtico ſtilo diſcuſſas in Academicis Prælectionibus tradidit.

Ex utraque hac in Salvatorem, ac Beatiſſimam Virginem religione eximiam illam manſuetudinem patientiam, humilitatem hauriebat, quarum virtutum experimenta plurima dabat aſſiduo in ea ſoli-

tudi-

tudine, ita cum ſervis illis agens, ita eos ad omnem religionem informans, ac ſi ſolis illis erudiendis eſſet idoneus, nec aliis unquam uſus eſſet vitæ contubernalibus. Neque ſpiritualia eorum commoda cum ſolicite procuraret, prætermittebat temporalia. Inſerviebat eis ægris, et afflictis omnem opem large conferebat, ut quacumque ratione poſſet ab inopia ſublevarentur, ac minus ægre ducerent vitam aſſidua defatigatione laborioſiſſimam. Ægrevalentibus, dicere ſolebat, nullam adhiberi charitatem nimiam poſſe, nullam eſſe nimiam largitatem; in hos ipſe ferebatur præcipuo ardore, diligenter ab eis quærens numquid eſſet quod appeterent, quove morbi viribus levari ſibi poſſe viderentur. Id ut intelligebat, agebat ſtrenue, ut ea ratione infirmorum voluntati, voluptati etiam fieret ſatis, quam ad rem conferebat ipſe perlibenter quæcumque ad eum dona, ſive munuſcula veniebant.

Quo ſpiritu charitatem, eodem colebat religioſam paupertatem, ac obedientiam; præcipua vero ſolertia caſtitatem proſequebatur. Quæ contra hanc Angelicam virtutem ſorent, ajebat, procul abeſſe oportere ab ſermonibus eorum, qui eandem colere ſtudioſe voluerint; nec doctrinæ morum obtentu ea eſſe tractanda, cum quæ ſcire oporteret in adeo lubrico argumento pro confeſſarii munere, eadem uberius ac periculose minus diſci ab libris poſſint. Itaque ſi quando ſermo incidiſſet, qui ad id deſle-

cti poſſet, quod virtuti huic adverſaretur, vel ſilentium indicebat, ſi pro auctoritate poterat, vel mentem ipſe ſuam alio volvebat. Ut mirari nemo jure debeat, eum, qui poſtremis temporibus Felicis confeſſiones exceperat, affirmaſſe ex hac vita Felicem cum prima gratia, judicio ſuo, deceſiſſe.

Cum hac ſibi dulci, ſociiſque ſuis percommoda vivendi ratione Felix frueretur procul ab urbe, et Academicis negotiis abſtineret, quantum muneris ſui ratio patiebatur; revocatus eſt in urbem auditurus legem, qua ab America in Europam navigare jubebatur. Subjecit ſe æquo animo divinæ voluntati vir ſexagenario major, quem neque ætas, neque fractæ vires, neque imminentes labores viribus multo ſuperiores ab exequendis eorum imperatis retardarunt, queis deberi obedientiam rebus etiam in arduis probe cognoverat, et cujus uberrimos eſſe ſciebat fructus terrenisquibuſcumque commodis præferendos, quique caro emi nullis laboribus, nullis vitæ periculis poſſint. Hiſce cogitationibus corroboratus navim conſcendit Sociis cum reliquis exilii ſui comitibus. At animi robori cum vires corporis minime reſponderent, appulit ad Portum S. Mariæ in littore Gaditano ita fractus navigationis laboribus, aſſiduiſque incommodis, ut decedentibus ceteris, juſſus ſit ipſe ab Regio miniſtro eo in Oppido conſiſtere. Neque hæc ab ſociis ſuis diſtractio perturbare quidquam Felicis animum po-

potuit divinæ voluntati penitus addictum : novo hocce ſui ſacrificio functus eſt egregie, quod ab ſe Deus poſtulabat. Corporis vero ægritudine, et morbi violentia inſuper in dies invaleſcente, correptus tandem eſt febri ardentiſſima, ab qua peritorum judicio cum ad mortem celeriter raperetur; muniri Eccleſiæ ſacramentis, corroborarique juſſus eſt. Profeſſus, nihil eſſe, Divino beneficio, quod ſibi morituro negotium faceſſeret, generali confeſſione ad ſacrum ſe viaticum præparavit. Hoc ſacramento munitus, ſacroque oleo corroboratus crebro dulciſſima Jesu, et Mariæ Nomina ingeminans, atque Angeli Cuſtodis ſui protectionem, interceſſionemque implorans ſpiritum Deo reddidit 13. Dec. 1768. atque in Eccleſia Sodalitii a Charitate dicti tumulatus eſt.

P. FRANCISCUS DE RIBERA

EXimia plurimarum virtutum exempla nobis, posterisque nostris reliquit P. Franciscus, natus pridie Kal. Dec. 1695. Piuræ, quæ parva Peruviani Regni Urbs est, nobili loco, atque parentibus, quibus cum christiana honestas cuicumque terrenæ nobilitatis titulo longe videretur præferenda; operam omnem contulerunt, ut Franciscus ab teneris religionis exercitationibus non minus, quam primis litterarum elementis erudiretur. Excipiebat puer optimæ indolis, præstantisque ingenii prima illa semina, ex quibus germinabant uberrimi fructus, cum libentius in dies pietatis, studiorumque tempora arriperet, atque in utraque re spem faceret profectus maximi. Hic manifestius multo ostensus est, cum parentibus vota significavit, quæ dudum volutabat animo. Nullum erat Societati ea in urbe domicilium; crebro tamen illac iter agebant præcipue Missionarii, quibus excolendorum populorum eorum commissa erat cura. Horum opera maxime delectabatur puer, et cum adolevisset, sensit

ac-

accendi in corde desiderium sequendi eorum vestigia, quorum sudores, laboresque pleni sibi gloriæ, meritique videbantur. Nata vero in corde desideria abscondebat, longa interim meditatione perpendens, nec existimabat festinatione opus esse in re, quam momenti maximi arbitrabatur. Certus tandem de divina voluntate consilium aperuit parentibus, postulavit ut sinerent vocantem Deum sequi, neque moras ullas injicerent terrenis se rebus spoliare cupienti, ut propius Servatoris vestigia sequeretur. Id cum parentibus accideret grave, ac permolestum, dilata sunt Francisco desideria, qui non existimavit, iisdem invitis, satis votis suis facere, cum certo ab eorum religione sibi polliceretur discedendi quam postulabat facultatem, Nec spe frustratus sua est; illi siquidem experimentis certiores facti de prudentia, constantiaque filii in tanto negotio, ejusdem arbitrio commiserunt, ut quod e re divina esset, id pro libito exequeretur.

Hac facta potestate Limam advolavit alacer, cumque consilia sua Societatis præsidibus aperuisset, exposuissetque quanto tempore invigilasset, ut stimulorum naturam, originemque plane cognosceret, quibus ad eam vivendi formam trahebatur, voti reus factus est, atque in eadem Urbe Tyronibus adscriptus postridie Kal. Decemb. 1712. Accepimus ab illius in Tyrocinio Sociis Franciscum tanto mentis ardore virtutum omnium comparationem ar-

arripuiſſe, ut brevi dignus habitus fuerit, quem ceteri veluti exemplar intuerentur, atque imitari ſtuderent. Jecit enim vero altiſſima eo tempore religioſæ vitæ fundamenta, quibus inniti neceſſe erat virtutes plurimas quarum exemplis nobis ad mortem uſque præivit, quaſque meminiſſe non poſſumus, quin earum ſequendarum ſtudium excitari in nobis ſentiamus. Confecto tyrocinii biennio votis ſe religionis Deo obſtrinxit die Indiarum Apoſtolo Xaverio ſacro; humanioribus deinde litteris, atque oratoriæ præceptis rurſus excoli eſt juſſus, quo tempore apparere cæpit ingenii acumen, et diſcendi ardor ille; quo poſtea Philoſophicis, Theologicisque ſtudiis dans operam ita ceteros inter domeſticos, externoſque condiſcipulos excelluit, ut nemini crederetur ſecundus, et honores illos obtinuerit, qui haberi ſolent optimis. Sacerdos creatus, et tertio probatus Grammaticæ Latinæ elementis Limanam juventutem erudire aggreſſus eſt, idque præſtitit tanta aſſiduitate, tamque patienti charitate, ut laboris, sudoriſque ſui in inſerendo teneris puerorum animis ſtudii honeſtatiſque amore, fructus cæperit uberrimos.

Cum ejus agendi ratio Superioribus maxime probaretur, aliquot poſt annos juſſus eſt operam quam hactenus externis adoleſcentibus tanta laude præſtiterat, in Tyronum noſtrorum commodum, ſpiritualemque eruditionem transferre, et eorum ma-

gi-

giſtro adjutor deſignatus eſt . Declinavit quantum obſequentiſſimo viro licuit miniſterium , quod honoris plurimum præſeferebat ; planeque oſtendebat quanta eſſet præſidibus de ejus prudentia , ac religione opinio. Cum præſertim eo in munere ſocius adſcriberetur P. Franciſco Rotalde viro numeris omnibus eximio, ac inter paucos referendo, qui cum Romam veniſſet Procurator , et Provinciam Peruvianam ſeptem integros annos adminiſtraſſet ; ingentem nominis ſui famam in America , atque in Europa excitarat, quod ſane ad ejuſdem Franciſci noſtri præcipuam laudem redundabat. Objecit ideo imbecillitatem ſuam omnimodam tanto oneri , atque honori imparem , ſibi notiſſimam , omnibus, ut ipſe judicabat manifeſtam: qua objectione cum profeciſſet nihil; exequi miniſterii ſui partes cæpit ea modeſtia , gravitate , prudentia , ut qui eo temporis in tyrocinio verſabatur plane confiteatur , ſolum Franciſci conſpectum , ejuſque agendi rationem id ab tyronibus obtinuiſſe , quod ab plurimis hortationibus, propoſitiſque regulis vix quiſquam ſibi polliceretur. Regularum etiam minimarum diligentiſſima in eo cuſtodia apparebat ; primus ipſe aderat in omnibus, quæ humilitatis, laboris, moleſtiæ quidquam præſeferrent, intercludebat omnem aditum ignaviæ , tepiditatique alienæ , nec erat qui detrectare auderet miniſterium , exercitationemve ullam demiſſiſſimam, cum præeuntem in eo ducem ſuum intueretur . Dum com-

commiſſorum ſibi Tyronum animos tanto ſtudio ad virtutes omnes excitabat; inſudabat nihilo ſegnius in inſtruendo ſpiritu ſuo, in retundendis animi motibus inordinatis, in propriæ infirmitatis pleniſſima cognitione adipiſcenda, in contemptu, atque oblivione terrenarum rerum omnium, inque illa ſenſuum, corporiſque mortificatione, quæ totius vitæ exercitatio eſſet futura. In his totus verſabatur alacriter, cum coacti ſunt præſides ejus uti opera in tradenda Philoſophia, ſacraque Theologia

Utroque munere functus eſt maxima ingenii, doctrinæque laude, nec minorem eſt nominis celebritatem conſecutus cum docendi onere ſolutus, juſſus eſt oratoris partes ſuſtinere, quo in munere par ſummis regionum illarum oratoribus habebatur. Ipſe cum plauſus illos nihilo duceret, et in ſolo ſui contemptu quietem ſuam collocaret; adhorrebat ab miniſterio, in quo ejus ingenium, ac dicendi vis tantopere celebrabatur, et latebras quærens numquam orator niſi juſſus ad concionem deſcendebat. At dum latere cupiebat; coactus eſt Arequipenſi Collegio religioſiſſimo illi quidem, obſervantiſſimoque præeſſe. Qui ſe virorum illorum contubernio omnibus nominibus judicabat indignum, facile conjici poteſt quam moleſte ferret iiſdem præfici: ſuſcepit vero onus, quod declinare non poterat, ejus partes implere omnes maximo ſtudio aggreſſus eſt, cum qui aliis præſidet, eumdem oportere omnibus

exemplo ſuo præire inviolabilis legis loco haberet. Interea autem agebat cum Societatis universæ Præſide, ut illo onore levaretur, cui ſe imparem tot rationibus probavit, ut in medio regiminis ſui curſu id conſecutus ſit quod tam ardenter optabat.

Privatam vitam ducebat tot rationibus quæſitam, in qua cum ſibi, ac Deo vacare longius poſſet, ſibi felix videbatur, cum Deus illis experimentis eum ſubjici, probarique voluit, quæ ſpiritalem vitam ſtrenue profitentibus haberi ſolent graviora. Cæleſti omni conſolatione privatum adorti ſunt timores, mentiſque anxietates, quarum inter denſiſſimas tenebras nihil ei objiciebatur præter teterrimas imagines, quas offenſi ſupremi Numinis timor immodicus, et vana trepidatio excitabant. Deflebat uberrimis lacrymis anteactæ vitæ tempus, in quo ſe vanis dumtaxat inſerviſſe umbris, vanum religioſi viri nomen geſtaſſe dicebat; nondum poſt tot annos viam arripuiſſe, qua ſequi Deum oportebat: duxiſſe hactenus vitam non tepidam modo, ſed plurimis obnoxam criminibus, quorum ob gravitatem et ejici ex religioſis clauſtris mereretur, et in maximum diſcrimen æternam ſalutem adduxerat. Hiſce cum aſſiduo mens torqueretur, debilitari hæc ſenſim cæpit, et ita perturbari, ut ſæpe compos ſui non eſſet. Defunctus Franciſcus eſt horribili, ac teterrima tempeſtate ſolo divino beneficio, ruri vitam ducens; cum vero nunquam ab ſe torquendo

ceſ-

ceſſaſſet, mente licet integra uteretur, ægre trahebat afflictum, et ſenile corpus, ideo aptus creditus non eſt cui exercenda ſocietatis miniſteria rurſus crederentur, id præſtiturus ut primum in priſtinas vires convaluiſſet.

Id dum ipſe ruri præſtolatur omnibus ſese virtutibus exercens, et ſumma animi demiſſione, perfectaque in divina voluntate conformatione ferens inutilis interea exiſtimari ad excolendos civium animos, compulſus, atque coactus eſt non ſolum ſolitudini ſuæ, ſed patrio etiam ſolo valedicere, et exul in Italiam navigare. Hæc rerum viciſſitudo, et tot imminentium malorum, laborumque imago poterant profecto ab ſua tranquillitate deturbare virum ſeptuagenario majorem tot ægritudinibus tamdiu exercitum, voluntariiſque aſſiduis cruciatibus tam acerbe debilitatum; ſin minus; poterant hæc omnia facile perſuadere Regiis Miniſtris, non eſſe longæ, ac perdifficilis navigationis incommodis, atque periculis committendum ſenem, qui cito defecturus pro tanta infirmitate videbatur. At Franciſcus, qui occaſionem illam patientiæ exercendæ terrenis omnibus honoribus, et vitæ commodis longe præferebat, exhibuit ſese alacer ſociis diſceſſuris, tantumque animi robur oſtendit, quantum poſſet vegetis, ac juvenibus exemplo eſſe, ac incitamento. Suſtinuit ſane labores omnes, et ſuperavit tanta conſtantia, ut non ſine omnium admiratione

in Hiſpaniam primum, deinde in Corſicam inſulam navigarit, tandem in Italiam appulerit, et terreſtre iter aſperum, et laborioſum Ferrariam uſque victor confecerit.

Addictus fuerat ex Præſidum voluntate comes Joſeph Corſos clariſſimo viro, quem haud multo poſt debita recordatione proſequemur, ut hujus regimine, ac cura in omnibus dirigeretur. Hoc ſub directore rerum ſpiritualium ſcientiſſimo, ac peritiſſimo vitam ducebat Franciſcus perficiendo ſpiritui unice intentam, nulla in re ab ejus præſcripto recedens, quamvis interdum coercere cogeretur acerrimum illud torquendi corporis deſiderium, quo aſſidue inflammabatur: pendebat totus ab ejus nutu crebro animi intimos receſſus ei aperiens, et cæleſtes conſolationes, quibus refici ſolebat, quasque ſingulas cum ignorare nos fateamur, pro certo habemus fuiſſe plurimas, cum hac providentia beneficentiſſima uti Deum videamus, ut eos quos ariditate longa, diuturniſque mentis anxietatibus probaverit, copioſis deinde gratiis conſoletur; et vitam inſuper ipſe duxerit ab terrenis omnibus ita diſtractam; ut ſolis cæleſtibus immorari, alique videretur.

Namque quo tempore Ferrariæ vitæ ſuæ terminum præſtolabatur, relicta corporis ſui cura omni, atque cogitatione præter acerrimæ pœnitentiæ continuam exercitationem, diurnas nocturnaſque horas in

ſolis

ſolis ſpiritualibus tranſigebat: audiebatur crebro erumpere in ardentiſſimos divini amoris affectus, in tenerrimas voces, quibus divinam miſericordiam implorabat: ducebat horas plurimas flexis genibus in meditatione defixus, et hac religione perſolvebat ſacerdotale penſum, fundebatque aſſiduas preces, quas noctu ſurgens incipiebat; faciebat ad Aras poſt diligentiſſimam animi diſcuſſionem, et expiationem longamque ad ſacrificandum præparationem par gratiarum actio ſequebatur.

Ex hac vivendi ratione religioſiſſima prodibant virtutes illæ, quibus ipſe tantopere emicabat; illa ſcilicet ab terrenis diſtractio, illa eximia paupertas, qua miſerabili lectulo contentus, et pauciſſimis libris, quorum lectione ad ſpiritalem perfectionem inflammabatur, cetera omnia veluti inutilia rejiciebat; pecuniæ adeo nullus uſus, ut cum in ſocii ſui manu tres philippeos vidiſſet, ab eo quæſierit, quorum Beatorum eſſent illæ imagines. Nec paupertate minus illuſtris erat angelica illa virtus, quam ſingulari ipſe modeſtia tuebatur, acerrimaque ſenſuum cuſtodia; cumque probe ſciret quanti negotii res eſſet in hoc fragili limo non infici, ac deturpari virtutem, quæ vel leviſſimo flatu poſſet extingui; divinam opem implorabat aſſiduis precibus, quam ut conſequeretur, difficile dictu eſt quantis, quamque acerbis cruciatibus affligebat corpus, ne adverſus ſpiritum attollere ſese auderet. Hoc

privabat quocumque ſubſidio ad vitam non neceſſario, neque in ſenectute, tantaque virium imbecillitate patiebatur, ut aliqua cocolatica potione reficeretur. Cumque paucis ante obitum diebus ex ſuperiorum præſcripto qui ejus curam gerebat coadjutor aliquot potionis illius libras comparaſſet, eique indixiſſet velle, qui præſidebant, ut illa potione quotidie reficeretur; eſto, inquit Franciſcus, id ſolum a te peto, ut hac in re mihi ſocius ſis, namque pro certo habeas mihi, ac tibi ſatis eſſe ſuperque futurum; quod reipsa factum eſt. Privatum vero corpus omni levamine excipiebat cruentis verberationibus, ciliciis aſſiduis, acerbiſſimiſque cruciabat.

Animadvertit aliquando qui ei ægro operam præſtabat tumentia crura, et ita livida, ut prope nigra apparerent. Unde hæc orirentur ſcrutari cum voluiſſet, magnum ejus modeſtiæ negotium faceſſivit, et ſummo ſtupore correptus eſt, cum femora tam arctis ciliciis adſtricta invenit, ut nec liber ſanguini curſus pateret, nec ſolvere illa potuerit niſi fractis paulatim nodis implicatis, qui in intimas carnes penetrarant. Hujuſce tormenti acerbitatem augebat pediculorum examen in apertas plagas ſævientium, quique longo ſine ſtudio divelli non potuere. Pectus torquebat crux plurimis ferreis acuminibus rigens, cum oſtenderetur exterius ſubtili tela obducta; brachia ferreæ etiam catenulæ arctiſſime ſtringebant, quæ omnia ei mortuo erepta ſunt.

Ad-

Adventabat interea reſolutionis dies Franciſco optatiſſimus, nec ut modo innuimus, ignotus; cumque de more ad Aras feciſſet; ſenſit ſe inſolita virium infirmitate tentari, quæ etſi non gravis videretur, ut timeri ab ipſa quidquam funeſtum poſſet; medici tamen judicio adquieſcentes ſuperiores, corroborandum ſacro viatico Franciſcum ſtatuerunt. Refectus eſt hoc beneficio, pro quo cum gratias egiſſet maximas quas potuit Salvatori noſtro; converſus ad miniſtrantem coadjutorem, ait, ſcit Deus quam paratus ſim profectioni, cujus imminens tempus non ignoro, et præſtolor divino beneficio alacer, et lætus. Id mihi unum in votis eſt, ne mei cauſa perturbatione, aut moleſtia ſocii mei ulla afficiantur, neque onus ſubeant invigilandi, cum requieſcere tuto, ac tranquille poſſint; neque enim obitus mei hora adeo proxima eſt, ut nonnulli arbitrantur, cum non hic, ſed alterius ſabbati dies poſtremus mihi ſit futurus. Morem ei geſſerunt ſuperiores, cum probe intelligerent velle eum totis illis, qui ſupererant, diebus divinis colloquiis frui. Cum dies ab eo prædictus adveniſſet, convenerunt eum ſuperiores, et ex noſtris alii teſtes reſolutionis ejus futuri. Morti proximus ſocietatis veſtem manu arripiens, cujus ſe indignum palam profeſſus eſt, errorum veniam primum ab Parente Ignatio, deinde ab ſociis adſtantibus, qui in uberrimas lacrimas effundebantur, poſtulavit, enixe deprecans, ut ſibi

ignoſcerent; tandem dulciſſime iteratis Jesu, et Mariæ nominibus placidiſſime obdormivit 8. Sep. 1769. et in templo Societatis poſtridie tumulatus eſt.

P. JACOBUS PEREZ

VAlentiæ urbe nobiliſſima, artibus ſcientiiſque locupletiſſima natus eſt P. Jacobus 4. Mart. 1704. loco honeſtiſſimo, et puer præter ingenii acumen, litterarum eximium amorem, oſtendit maximam morum gravitatem, quam fuga ab puerilibus ludis, et ſilentii conſtans ſtudium tuebatur. Parcus verborum verſabat jam ea ætate perlibenter in quos inciderat libros, a quibus ad honeſtatem non ſolum ſed ad contemptum etiam rerum terrenarum informabatur, quas jam tum eo loco habere cæpit, quo haberi ipſæ profecto merentur. Fovebant hanc in filio animi propenſionem parentes, queis accidebat gratiſſimum eum eccleſiaſticis rebus præcipue delectari; ſubminiſtrabant alacriter libros eos, quibus illuminari puer, et corroborari eo in negotio poſſet, iiſdemque tanta aſſiduitate utebatur Jacobus, ut de pue-

puerilibus ludis numquam cogitaret, oſtenderetque voluptatem omnem ſuam in capiendis libris illis eſſe poſitam. Hac legendi exercitatione accendebatur quotidie magis diſcendi ſtudio, arreptæque cognitiones, ut uſu venire ſolet, et novarum cognitionum deſiderium excitabant, et eundem in vivendi ratione ſuſcepta confirmabant vehementius. Interea latinæ linguæ præceptis apprime imbutus, et ætate jam adoleſcente viſus eſt aptus philoſophicis ſtudiis ſuſcipiendis: ipſe vero alterius philoſophiæ ſtudio ardentius inflammatus, hanc arripuit; illam ſilere juſſit alio tempore audiendam, et in Tarraconenſe Tyrocinium advolavit.

Suſcepit novam vivendi rationem 5. die Octob. 1721. ad quam rite conſequendam plurimis proludebat animi dotibus, morum ſcilicet gravitate, ſilentii, laboris, lectionis ſtudio, virtutum omnium mirifico amore, ab quo ferebatur ad regularum etiam minimarum religioſam cuſtodiam, cum ex hac ſciret vitæ perfectionem pendere abſolutiſſimam: ſiquid hanc in rem peccaſſet, adnotabat ſecretiſſimo libello, hunc volvebat crebro, et errata animadvertens, nullum impunitum relinquebat, ut pœnæ moleſtia cautiorem in poſterum redderet, diligentioremque. Hac agendi ſedulitate præibat tyronibus reliquis, et præſidibus ſuis maxime commendabatur, a quibus confecto magna cum laude biennii tempore, ſacriſque religionis votis nuncupatis,

juſ-

juſſus eſt humaniores litteras recolere, dare operam deinde Philoſophiæ, Theologiæque ſtudiis demum inſudare, in quibus omnibus eos eſt honores conſecutus, qui haberi ſolent maximi, ac præcipui.

Confecto tanta nominis celebritate ſtudiorum curriculo, et Sacerdotio ornatus juſſus eſt Jacobus latinas litteras Alonæ tradere, quam provinciam aggreſſus eſt alacriter, et ſtrenue adminiſtrabat; hujuſce vero muneris partibus minime poterat contineri ardens laborandi ſtudium in proximorum ſalute procuranda; dabat igitur operam reliquis Societatis miniſteriis, quantum officii ſui ratio patiebatur, audiendis confeſſionibus, exponendæ catecheſi, concionibus ad populum habendis; quæ omnia cum exigua et parvi ei laboris viderentur, et quibus exequendis erant plures paratiſſimi, agitare animo cæpit poſſe ejus operam, laborandique ſtudium Americanis populis, et barbaris nationibus accidere fructuoſius; ſibi autem patere in illis regionibus ampliſſimum campum, in quo maximorum laborum ardor apoſtolicus exultare poſſet, ac triumphare. Cum ſerio hæc eſſet diu meditatus, ſignificavit vota ſua Societatis Præſidi ſupremo, ſignificavit autem dumtaxat, ut cognita animi ejus promptitudine, ipſe auctoritate ſua rem totam decerneret. Adſcriptus eſt Provinciæ Peruvianæ. Itaque relicto Alonenſibus magno ſui deſiderio viæ ſe commiſit Portum S. Mariæ cogitans, quo confluere reliqui

Miſ-

Miſſionis illius Socii debebant, ut inde in Americam navigarent. Navigationis incommoda, quæ et plurima eſſe ſolent, et diuturna, ſuſtinuit invicta conſtantia, ingerens ſæpe minus ſtrenuis, hiſce laboribus, qui certe eſſent leviores, proludere animum debere ad majores, quibus carere profecto non poterat apoſtolicæ vitæ ratio, quam ſibi quiſque ſequendam propoſuerat; hiſce incommodis patienter ſuſtinendis aſſueſcere oportere ad rerum omnium inopiam, quietis, ac victus caritatem ferendam, ad contemnendam vitam etiam ipſam, quo ſine contemptu apoſtolicam vivendi formam perſequi nemo poteſt.

His ſenſibus cum ad deſtinatum terminum perveniſſet; tertio probari juxta Societatis Inſtitutum eſt juſſus, quo tempore cum religioſa vitæ ratio ſuperioribus ſuis maxime probaretur; Collegii illius Præſidi datus eſt adjutor. At cum tempus tamdiu optatum præſtolatur, quo apoſtolicis inſudare miniſteriis juberetur, iterum tradendis Latinis Litteris in Urbe Callai deſtinatur, quod Superiorum conſilium, quamvis eo fruſtrari ingenti ſpe ſua in converſione gentium illarum inſudandi, cerneret, qua inductus Europæ valedixerat, eſt nihilo ſegnius tanta alacritate amplexus, ut egregiam nominis ſui commendationem in ea urbe excitarit, quæ tamen aliquot poſt annos pro humana infirmitate in ejuſdem aſſiduam exprobationem versa, uberrimam ei exer-

exercendæ patientiæ ſegetem obtulit. Callebat ſcilicet egregie Jacobus, docendi munus ab ſocietate eſſe ſuſceptum, ut hac arrepta occaſione Socii multo vehementius in excolendis alumnorum animis inſudarent; religionis proinde, ac virtutum omnium ſtudium ceteris ſcientiis eſſe præferendum. Itaque quamvis cives illi intuerentur adoleſcentulos ſuos Jacobi magiſterio in litteris proficere plurimum, eorumque ingenia ad graviores ſcientias maxima uberrimi fructus ſpe præparari; ægerrime ferebant, eoſdem ſic paratos ad religioſa clauſtra, deſpectis terrenis omnibus, turmatim convolare. Mali, ut ſtulte exiſtimabant, graviſſimi cauſam totam in præceptorem referentes, hunc veluti filiorum ſeductorem criminationibus, conviciis, contumeliis etiam infectari aggreſſi ſunt. Quam tempeſtatem ac procellam etſi æquo animo, ut par erat, ipſe ſuſtineret, glorioſamque judicaret; tamen cedendum tempori ſtatuit, poſtulavitque ut ad Moxenſium Miſſiones deſtinaretur, relicto docendi munere, quod geri rite ſine civium illorum offenſione non poſſet.

Geſſere morem poſtulanti Præſides, et Jacobus nulla interpoſita mora accinxit ſe itineri longo, ac perdifficili uſque ad S. Crucis oppidum, inde profectus eſt ad Populum, cui a Sancto Nicolao nomen, ibique conſtitit tanta animi jucunditate, ut in deſideriorum ſuorum termino conſtitutus ſibi videretur. Suſcepit novæ linguæ discendæ laborem, ea con-

ten-

tentione, qua paucos intra menſes ductus eſt ad loquendi facilitatem, quam ſuſtinenda miniſteria poſtulabant. Rerum omnium, quibus ad victum natura adsueverat inopiam non modo, ſed omnimodam privationem etiam ferebat alacriter. At inde fortaſſe, uti et ab calidiſſimo cælo correptus eſt morbo, quem Incolæ *Empeynes* dicunt. Genus eſt quoddam lepræ, qua operiri corpus ſolet, et dolore, ac prurigine extimas præcipue partes inficit. Dum ſperat patientia, et levibus medicinis mitigari morbi acerbitatem poſſe, adeo hæc deſæviit, ut nec cœli, aeriſque mutatione, nec ulla medicorum arte ad priſtinam valetudinem redire potuerit: quo morbo dejectus eſt ab omni ſpe ducendæ vitæ in illis regionibus, ad quas tanto ſtudio ferebatur. Subjecit ſe penitus divinæ voluntati, quam exequi ſacrificium exiſtimabat quocumque alio præſtantius. Conſederat tandem in S. Crucis oppido ubi aquarum benignitate plurimum relevatus ægritudine, dum rurſus Moxenſium ſuorum deſiderio, ac ſpe etiam accendebatur, juſſus eſt earum miſſionum in temporalibus procurationem in eadem urbe gerere. Ceſſit Præſidum voluntati, et munus illud adminiſtravit ingenti ſociorum illorum, populorumque commodo.

Hiſce vero curis minime contentus inſudabat procurandæ proximorum ſaluti ardentiſſime; cives eos crebris adhortationibus, crebra catecheſi expoſitione

ne ad omnem virtutem inflammabat: cumque aliquando odium exarderet duos inter primarios urbis cives, quod extingui nulla poſſe via videbatur, cum irritos reddidiſſet conatus validiſſimos virorum, qui zelo inflammati tantam populi offenſionem de medio tollere ſusceperant; indixit Jacobus concionem aliquot dies habendam, cumque auditorum animos jam paratos haberet; orationis argumentum pertractare cæpit de Chriſtiana charitate, deque remittendis acceptis injuriis tanta contentione, tantaque eloquentiæ vi, ut auditores in clamores erumperent quibus utrumque ſe præſtare, et præſtituros in poſterum pollicebantur, mutuo ſese amplecterentur, et ignoſci poſtularent. Aderant hiſce omnibus viri illi, quin in tanto animorum motu, doloris, pœnitentiæ, reconciliatæve gratiæ ſignificationem ullam præberent. Exarſit ad hæc Jacobi zelus, depoſitaque externa veſte cæpit ſe tam acerbe verberare, ut populus effuſus in uberrimas lacrymas eum obteſtaretur, ut ab illa tam acri contentione ceſſaret, et inimici ipſi ad eum accurrerint ſuplices, et palam ſimultatis, atque inimicitiæ cauſas omnes depoſuerint, ſese mutuo amplexi ſint fraternam in poſterum charitatem polliciti.

Cum Chuquiſacæ bonis, fortuniſque Moxenſium procurator adeſſet, vendique curaret, quæ ab illis regionibus mittebantur, ut eiſdem neceſſaria provideret; excitati in eum ſunt urbis illius mercato-

res

res, regionis præſidem convenerunt, queſti ſunt omni ſe lucro, ac mercatura fraudari ab P. Jacobo, quo vendente, ceſſare ipſi a venditione cogerentur. Dies dictus eſt ei: ſtetit coram Præſide, a quo interrogatus quam ille tot criminationibus cauſam dediſſet; breviter cum reſpondiſſet, se juſto pretio, ac modico lucro contentum, quale demum populorum illorum inopia, ac neceſſitas poſtularet, faciles habere promptoſque emptores, eoſdem reliquis mercatoribus non defuturos, ſi et ipſi tanti, non pluris vendere vellent; laudavit Præſes agendi rationem ab aviditate maxime alienam, commendataque Jacobi æquitate, deſpexit iniquos clamores, quos ſola inſatiabilis cupiditas excitarat.

Rexit deinde Jacobus urbis illius Collegium, præfuit etiam Ycenſi, quo tempore partem Provinciæ luſtravit, quam adire pro ægritudine univerſam Præfectus non poterat. In hiſce præfecturis maximam de ſe opinionem excitavit; namque regularum exactiſſimus ipſe cuſtos, et religioſæ diſciplinæ obſervantiſſimus, ut eadem in omnibus vigeret ſatagebat ſtudio indefeſſo. Laborioſa, moleſta, aſpera obibat ipſe primus, ne quis eſſet, qui jure refugere id videretur, in quo qui præerat antecellebat ceteris. Tardus in præcipiendo, longique ſtudii, quæ vero præceperat, erant omni ſublata excuſatione exequenda. Inflexilis erga omnes æquitatis, juſtitiæ abſolutiſſimæ, ut recte factorum præmi

mia ſibi quiſque certo polliceretur, erratorum certam pænam formidaret. Dignus proinde eſt habitus, qui univerſæ provinciæ præficeretur, quam ita adminiſtravit, ut conceptam de ejus integritate, religione, fide opinionem longe ſuperaverit. Deceptus ſiniſtra informatione ſocium quemdam pæna multaverat, quæ alterius imprudentia publica facta eſt. Cognito errore, cum illud collegium luſtraret, palam profeſſus eſt erraſſe ſe; laudavit innocentis patientiam in ſubeunda pæna non debita, eundem magno ab ſe loco haberi obteſtatus eſt, profeſſus criminatorem ex Societate vel hoc ſolo falſi crimine ſe ejecturum niſi vereretur ne impacta calumnia notior redderetur.

Neque adminiſtrandæ provinciæ curis ita diſtrahebatur ab procuranda proximorum ſalute iis in miniſteriis, quæ laborioſa, uberrimæ vero frugis eſſe ſolent: namque ſolitudinis ſuæ avidiſſimus, temporisque diſpenſator acuratus tantum concionibus, catecheſi, excipiendis confeſſionibus indulgebat temporis, ut exemplo ſuo tardos etiam ad operam excitaret, et erubeſcerent minus diligentes, cum præſidem ſuum intuerentur tot muneris ſui curis implicitum in labore adeo aſſiduum, paratumque. Erat ipſe in hac ſententia, quam religioſi regiminis veluti fundamentum exiſtimabat; qui præeſt, eum verborum parcum eſſe oportere, exemplis vero abundare; hiſce inceſſe vim maximam perſese, illis pro-

prope nullam, ſi ab exemplis ſejungantur, tardis præcipue, ac natura ſegnibus, quibus obtuſi aculei ſunt, qui alios ſolent ad laborem etiam maximum excitare.

Itaque cum collegium maximum Limanum adminiſtraret, præbat omnibus diligentiſſima regularum cuſtodia, præibat etiam in exequendis inſtituti miniſteriis, inviſebat primus ægros in Noſocomiis, carceribus detentos adibat, conſolabatur, omni ſpirituali ope ſublevabat: horum intuitu chariſſimæ ſibi ſolitudinis receſſum relinquebat; nam domo prodire niſi ex miniſterii alicujus præſcripto, minus exiſtimabat religioſum. Hinc regius quidam in urbe miniſter dicere ſolebat, chariſſimum ſibi eſſe, aliquando fuiſſe ab Jacobo domi ſuæ conventum, cum id dilectiſſimæ ſibi filiæ jactura obtinuerit. Erat huic a confeſſionibus Jacobus, qui graviſſimo morbo correptæ aſſiduam ad mortem uſque operam præſtitit. Neque Proregem conveniebat umquam, niſi confeſſarii munus, quo apud eum fungebatur, poſtularet; reliqua enim terrena quæcumque negotia ita reſpuebat, ut nihil eorum in ſe umquam ſuſciperet.

In maximo Noſocomio præter ſpiritualem operam ægris præſtabat etiam corporalem ad infima uſque miniſteria. Id cum crebrius quam vellent intuerentur ægrorum miniſtri, et vererentur maxime virum talem, a cujus agendi ratione tam acriter

exprobabatur eorum ſegnities, ac negligentia, ita cum Collegii præſide, cui ſuberat Jacobus, egerunt, ut is juſſus fuerit ab Noſocomio abſtinere. Tamdiu abſtinuit, quamdiu primum domus illius medicum miniſtrorum negligentia latere potuit. Nam cum ægros minus recte tractari, negligi eorundem ſtrata, non crebro, ac rite mundari eorum vaſa et ipſe per ſese ſentiret, et ex ægrorum confeſſione cauſam cognoſceret; recta ſe contulit ad Jacobi ſuperiorem, qui ab eo totius rei certior factus, pleniſſimam Jacobo fecit Noſocomium adeundi, quoties placeret, facultatem, quo ſolo iterum mundities rebus, ægris juſta eſt præſtita ſolicitudo.

Cum præfuiſſet univerſæ provinciæ, privatamque vitam ſequeretur, primus erat in omnibus religiosæ vitæ exercitationibus, quin geſtorum munerum, aut etiam ſeneſcentis ætatis obtentu indulgentiam ullam requireret, vel oblatam admitteret: ad quodlibet obedientiæ ſignum demittebat quidquid ab incipiendo opere poſſet eum retardare. Intentis in unum Deum oculis, vulgi rumores, clamores etiam reſpuebat: nihilo æſtimabat terrena omnia, ab quibus moveri nullo modo poterat ut minus acriter in ſe, ſuiſque perfectionem omnem promoveret. Sciebat, quod aliter accidere pro humana infirmitate non poterat, ſuam agendi rationem ab aliquibus improbari; male ſe ab aliis haberi: appetitus eſt quandoque conviciis, criminationibus etiam proſecu-

cutus: at hæc inter ut in medio mari edita, et altiſſimis defixa radicibus rupes, in arrepto propoſito immotus perſtitit, et quos ſciebat in ſe vehementius iniquiuſque invectos, eoſdem ne verbo quidem a ſe violatos voluit, ut morti proximus multis adſtantibus profiteri potuerit, detractoribus ſuis adeo pepercisse pleniſſime, ut de nullo umquam ſit ultus.

Hoc comparandæ virtutis omnis ſtudio ſolertiſſimo cum exceſſiſſet ætatis annum tertium ſupra ſexageſimum; audivit ore imperterrito regiam legem, qua jubebatur ad Europæ provincias renavigare. Commiſit ſese ſtrenue periculis, laboribuſque pro ætate illa, proque anguſtiis navis certe graviſſimis, quibus ſociorum ſuorum nonnulli ceſſere: appulit ad oras hiſpanienſes, unde ad Italiam delatus eſt ſalvus, at non incolumis; namque pluribus obducta plagis cum crura apparuiſſent, cæpit acerbiſſimis doloribus torqueri, quos tamen invicta patientia ſuſtinebat, alacritate etiam mirabili, cum certo ſibi perſuaſiſſet, medicis licet diverſa ſentientibus, eſse dolores illos poſtremum experimentum, quod a se Deus exigeret, et in quibus alacriter ferendis repoſitam haberet ingentem mercedem. Hujus ſpe firmiſſima corroboratus quanto propiorem profectionem ſuam intuebatur, tanto exultabat alacrius. Interrogatus ab Provinciæ præſide cum præter plagarum dolores, curationis moleſtiis torqueretur, quo-

modo ſe haberet, feſtive reſpondit ; aptare ſe ſibi ocreas ad proximum poſtremum iter. At cum morbi acerbitate tandem raperetur ad mortem, munitus Eccleſiæ ſacramentis agere animam cæpit , et Jeſum Puerum tenerrimis compellare carminibus . Id cum alter ex adſtantibus alienatæ ab vi morbi menti tribuiſſet; non ita profecto eſt, repoſuit Jacobus , adigor namque ad cantum ab interna alacritate, qua proximam patriæ meæ chariſſimæ quietem intueor, et canens, dulcia Jesù , atque Mariæ nomina quanto conatu potuit proferens, placidiſſime obdormivit 3. die Aprilis 1771. Ferrariæ, et in Templo Societatis Jesu confluentibus ad ejus honores ſupremos Sociis tumulatus eſt.

Neque pro infinita Divina benignitate, ac miſericordia mirandum tam placida, atque hilari morte functum eſſe virum integerrimæ virtutis, atque illius animæ demiſſionis, quam neque ſummorum Præſulum, neque Proregum favor, aut gratia umquam labefactavit ; quique in omni vitæ tempore ab terrenis abſtractus, in ſolis æternis ſpes omnes, cogitationeſque ſuas collocarat . Horum inflammatus deſiderio effundebat ſeſe in pauperes abjectiſſimos, derelictos mira, ardentiſſimaque charitate; cum eſſet in ſe ipſum aſper, et rigidus aſſiduis jejuniis , crebris ciliciis ac verberationibus, et eam pauperatem ſequeretur in victu, ac cultu corporis , ut præter id quod veluti pauperi ab præſidibus dabatur,

tur, reſpueret omnia, exueret ſese omnibus quæ ab aliis dono accepiſſet. Cum ab primis omnium ordinum viris magni ipſe fieret pro incorrupta fide, ac honeſtate, pro gravi, prudentique agendi ratione, fugiebat humanam omnem commendationem, ac terrenis plauſibus quibuscumque domeſticas latebras præferebat, in quibus ſtudio, rebus ſuis, Deo vacare liberius, ac longius poterat.

P. PETRUS LIZARRAGA

QUi terrenarum rerum infirmam, fluxamque naturam ſemel probe cognoverit, is profecto eas omnes eo loco habebit, ut nullum in eis amorem, nullam etiam ſpem collocandam exiſtimarit ab eo, qui falli nolit, ac miſere decipi. Hac juſta terrenarum divitiarum cognitione inductus eſt P. Petrus ad earum contemptum pleniſſimum, et natus Arequipæ 29. Jun. 1704. loco honeſtiſſimo, ac locupletiſſimo, in ipſo adoleſcentis ætatis exordio, reſpuere eas omnes, cogitationem etiam ea-

rum ſtatuit, amorem omnem in illis collocaturus bonis, quæ nulla rerum viciſſitudine, nullo humano caſu concuti poſſent, ac labefactari. Puer Litterarum elementis excultus, et hiſce veriſſimis rerum cognitionibus eruditus cum vix adoleſcentiam attigiſſet; eam ſibi ineundam vitæ rationem exiſtimavit, quæ ab terrenarum curarum tumultu maxime abhorrens, poteſtatem faceret divino famulatui ampliorem, firmioremque, quem unum præ oculis ſibi habendum, perſequendumque ratus, valedixit fortunis omnibus, omni etiam ſpei, et Sociis adſcriptus eſt Limæ 29. Julii an. 1720. ætatis vero ſuæ ſexto decimo, et menſe uno.

Tyrocinium eſt aggreſſus mira contentione, tantaque conſtantia confecit, ut reliquis ſociis eſſet ad pleniſſimam regularum cuſtodiam exemplum, ac incitamentum: tunc eam vitæ rationem iniit, atque ſuſcepit, quam ad poſtremum uſque ſpiritum perſecutus eſt; ſibique indixit omnimodam voluntatis ſuæ abnegationem ſectari, et in omnibus ſolam divinam gloriam præſeferre, quæ tanto conatu, tamque ardenti ſtudio exequi ſatagebat, ut ad hæc cogitationes omnes ſuas contuliſſe videretur. Adſuevit ab eo tempore quodcumque opus aggrederetur duo hæc ab Deo poſtulare, ut opus ſcilicet illud ad divinam gloriam, laudemque redundaret, ſibi vero eſſet apud homines contemptui. Hoc ſpiritu ductus literarum curriculum ſuo tempore ſuſceptum con-

confecit, quin ſcientiarum adquirendarum ſolicitudine ab propoſito diſtraheretur; cumque ex Inſtituti præſcripto tertio probaretur adeo omnium oculos perſtringebat religioſiſſimæ vitæ ratio ab eo inita, ut minime vererentur præſides Petrum reliquis ſociis veluti in exemplum proponere, in quod omnes intenderent, quibus eſſet cordi communi omnium probatione muneri ſuo facere ſatis cumulatiſſime, ipſe vero collegii illius Rector quamvis maximam de Petri virtute opinionem animo concepiſſet, eumque intueretur veluti alumnum numeris omnibus abſolutum, mente perculſus eſt cum in probationis illius termino propoſuiſſet Petro, ut ſibi confidenter ſignificare non gravaretur quo deinde miniſterio, quave in urbe fungeretur alacrius, certus obtinendi quod ſignificaſſet; vidit enim exhorruiſſe ad propoſitionem Petrum, et reponentem audivit: cum plurimi faciam voluntatem, amoremque erga me tuum, doleo hac in re non poſſe tibi morem gerere; namque ſcias oportet, exuiſſe me omnem meam voluntatem ab eo tempore, quo confecto tyrocinii biennio, religionis me votis Deo mancipavi, in quem voluntatem omnem ita tranſtuli, ut ab ejus nutu verbis præſidum meorum ſignificato, dependere mea omnia velim.

Tradendis Araequipæ Latinæ Grammaticæ regulis deſtinatus in id mentis conatus, ac vires corporis contulit omnes, ut eo præceptore adoleſcen-

tuli litteris plurimum imbuerentur, animo vero arriperent uberius illa chriſtianæ honeſtatis principia, quibus alte infixis, ſpem facerent optimæ frugis. Nec fruſtra ſuſceptos labores ſuos vidit, cum et ab alumnis ſuis *Magiſter* Sanctus vulgo appellaretur ſumma parentum probatione, et ex ipſis haud pauci religioſis familiis adſcripti quantum litteris, optimiſque moribus valerent, palam oſtenderint. Hoc in munere laboris pleno, ac ſolicitudinis verſatus eſt plures annos, certus in eodem vitam ponendi, niſi aliter ſuperiores ultro ſtatuiſſent, quos interpellare nefas ſibi ducebat, ut diuturno illo onore levaretur, quod adminiſtrabat alacriter, cum et humilitatem coleret uberius, et laborum fructus caperet ampliſſimos. Juſſus tandem ab eo opere ceſſare, curas omnes ad procurandam proximorum ſalutem tranſtulit in iis miniſteriis, quæ arreptum vitæ inſtitutum maxime commendabat.

Hæc vero inter omnia præcipua alacritate ſuſcepit, judicio noſtro, laborioſiſſimum excipiendarum confeſſionum miniſterium, ad quod rite adminiſtrandum præter alia acceperat a Deo invictam patientiam, et conſtantiam adeo ſingularem, ut eam mirarentur omnes, et Petrum communi vocabulo *incudinem* appellarent. Quanta vero aliorum probatione, ac fructu eo miniſterio fungeretur, teſtabantur imprimis religioſi viri, ac moniales qui ejus aſſiduam operam requirebant, confirmabat deinde aſ-

ſidua

ſidua poſtulatio eorum, quos vis morbi ad vitæ diſcrimen pertrahebat. Hos præcipua non charitate modo, ſed alacritate etiam convenichat diu, noctuque, hiſce aderat ſingulari voluptate, quouſque vel ad valetudinem revocarentur, vel inter ſerventiſſimos affectus eſſlarent animam. Namque pro aſſiduo hujus maximæ charitatis uſu dicere erat ſolitus, incredibilem inde fructum referri, cum eo temporis fruges comparentur toto vitæ tempore quæſitæ, et quæ ſolo in eo rerum ſtatu matureſcere, et perfici ſoleant.

Ab hoc miniſterio ne diſtraheretur, et ut honoribus omnibus, ad quos in religioſa familia promoveri poſſet, aditum intercluderet, ſimulaſſe credam quamdam ſurditatem, quæ quandoque gravis videbatur, ejus vero erat naturæ, ut eum, paventiſſimæ licet conſcientiæ ab excipiendis confeſſionibus minime retardaret, et ſi quando ſermo incideret, in quo quis minus recte de alio ſentire ſubmiſſa quamvis voce ſignificaret, ſtatim Petrus in laudes ſese effunderet ejuſdem viri, et id in eodem maxime commendaret quod cum objecta criminatione poſſet minus convenire. Id certum, eos qui experiri id inter confitendum voluere, certos remanſiſſe auditos fuiſſe cum ad omnia plene, perfecteque Petrus reſpondiſſet, quæ et pœnitentium ſtatus, et muneris ratio poſtulabant; neque ex tanta ad eum confluentium frecuentia vel unus eſt compertus, qui

de

de ejus ſurditate in excipiendis confeſſionibus quereretur.

Huic graviſſimo miniſterio, et Divini Verbi expoſitioni inſudabat copioſius, fructuoſiuſque, cum iisdem rite adminiſtrandis ſummum ipſe ſtudium, conatuſque omnes conferret. Perſuadebat ſibi ſanctificationem suam ad alienam veluti fundamentum eſſe oportere, nec fieri facile poſſe, ut in apoſtolico munere cum fructu conſtanter inſudet, qui apoſtolicam vivendi formam in ſe ipſo non expreſſerit. Colebat proinde animi demiſſionem eximiam, quam pleniſſima exiguitatis ſuæ cognitio conſequebatur; hac movebatur acriter, ut vires omnes exereret, nullum laborem detrectaret, nullum formidaret vitæ diſcrimen, ſciens omnem a nobis operam diligentiſſimam requirere Deum, ac ſi ab ſollicitudine noſtra res tota penderet; in ea autem ita eſſe innitendum, ut laborum, ſudorumque exitus omnis fructuoſus ab ſola eſſet Divina Bonitate ſperandus. Inde fluebat illuſtris illa paupertas, qua ſimplici victu, tritoque corporis cultu contentus, amabat conclave quod eſſet omnibus ſpoliatius, magiſque incommodum, reſpuebat veluti ſibi minime convenientes res omnes, quas religiosa paupertas etiam ſevera patitur, abhorrebat ab omnibus, quæ eum ab neceſſitate conveniendi crebro ſuperiores ſuos eximerent. Nihil apud ſe pecuniæ, nihil deliciarum patiebatur: quin et ſi ſcribenda ei eſſet epiſtola

ſtola, adibat eum a quo diſtribuenda erat charta, et cum accepiſſet quantam præſens neceſſitas poſtulabat, parcebat ceteris, nequid apud eum eſſet reliquum, quo rigidiſſima offendi paupertas poſſet. Siquid autem ei dono mitteretur, mittebatur autem ſæpe pro gentis illius conſuetudine, ſi rejicere honeſte, ac ſine mittentis injuria non poterat, deferebat ad præſidem, a quo ſi juberetur munuſcula accipere, ea omnia citiſſime nulla ſibi relicta parte inter Socios, ægrevalentes præcipue diſtribuebat; ſtrenas vero latori dandas emendicabat ipse, ne alter ſuo præmio privaretur. Utebatur ex medicorum præſcripto nicoſiano pulvere modiciſſimo, hunc ut acciperet ab alio copioſum induci numquam potuit; amabat potius rei domeſticæ curatorem crebro adire, abque eo ritu pauperum poſtulare ſubſidium. Ceterum ſi ab quopiam rogaretur, ut acciperet vel pecuniam, vel quæ religiose retinere poterat, reſpondebat alacriter, ſibi eſſe ea omnia inutilia, cum ab religioſa familia ſua ſibi abunde provideretur.

Neque hujuſce ab terrenis ſolum rebus diſtractionis exempla ab eo plurima accepimus; eadem, quod ſane multo difficilius accidere ſolet, uſus eſt erga propinquos, quos inter ab ætate juvenili verſabatur. Erga hoſce cum ingenioſus non minus quam acer eſſe ſoleat amor noſtri, et mille, quibus ſe tegat, artes habeat promptiſſimas, tam plena, abſolutaque victoria ab Petro eſt ſuperatus, ut ne-

neque paternam domum adiret umquam, neque propinquos conveniret nisi eadem charitate cogeretur qua ceteris opem ferre consueverat. Invisebat scilicet sæculi viros quoties spiritalis eorum profectus postulabat; hæc enim causa unica erat, quæ eum posset ab dulcissimo domestico secessu evocare, quem adeo colebat studiose, ut præter communes brevesque confabulationes, fugeret colloquia omnia, indulgeret libenter solitudini, Deo, sibique vacaret uberius. Persolvebat primam diei horam huic orandi studio immobilis flexis genibus coram V. Eucharistiæ Sacramento; eadem religione suscipiebat Sacerdotale pensum præmissa ferventi precatione, ut ad conspectum Domini ejus deferretur oratio; eadem bis quotidie excutiebat conscientiam suam coram Domino tanta severitate, ut nihil sibi videretur leve, ac prætermittendum, quod eum posset ab perfecta vivendi ratione retardare.

Cum adeo esset in propria perfectione solicitus, cum tantam ab terrenis omnibus distractionem, tantum cælestium desiderium sectaretur, atque ab omnibus vir haberetur absolutissimæ virtutis, confessarii vero sui judicio, illibatæ innocentiæ, assiduis ferreis ciliciis cruentabat corpus, quæ exuebat numquam, duplicabat vero tempore illo, quo excipiendis confessionibus vacabat, ut carnem tormento illo, ajebat, ab omni inordinato motu compesceret. Ceterum locis deviis, ac temporibus magis

gis ſecretis, cum latere poſſet tutius, lacerabat ſe-se acribus flagris, carnem eo loco habens, quo indomitam belluam quæ miti tractatione inſolentior, audaciorque redderetur.

Hac conſtanti religioſæ vitæ ratione cum ad annum quartum ſupra ſexageſimum perveniſſet ; juſſus eſt regia lege in Hiſpaniam primum, in Italiam deinde navigare. Excepit invicto animo inopinam rerum omnium mutationem, nec ullum perturbationis ſignum vel in fronte exprimere potuit ea ſortis viciſſitudo, quæ ſenem ab miniſteriis per tot annos exercitis revocans, committebat inuſitatis, maximiſque vitæ laboribus. Divinæ voluntati cum vota omnia, cogitationes etiam omnes ſuas addixiſſet, hanc invicto animi robore eſt ſecutus terreſtris itineris incommoda plurima, longæque navigationis labores, atque diſcrimina, quæ omnia maxime eum feciſſe crediderim, cum probe, planeque cognoſceret quanta eſſet in iiſdem alacriter ſuſtinendis propoſita merces. Terra, marique tot præfulſit virtutum omnium exemplis ceteris ſociis, ut plurimum apud omnes creverit quæ erat de ejus ſanctitate opinio. Crevit etiam illuſtrius cum Ferrariam veniſſemus, in qua urbe perficiendo virtutum omnium exercitatione animo multo diligentius inſudabat, ceteris omnibus miniſteriis vacuus. Relicta præſidibus omni ſui cura, contentus ipſe humillimo tritiſſimoque corporis cultu, et quæ rigi-

diſſi-

diſſimæ paupertati convenirent, ea ſibi depoſcebat omnia, nihil præ oculis habens præter divinam voluntatem, ac gloriam, quam ſibi ſequendam propoſuerat. Hiſce cum ceteris maxime præluxiſſet, et ætatis annum ſeptimum ſupra ſexageſimum exceſſiſſet; correptus eſt morbo graviſſimo, a quo brevi Eccleſiæ Sacramentis munitus, inter aſſidua colloquia, in quibus B. Mariæ Virginis opem ardentiſſime implorabat, tranquillam ad mortem ductus eſt 1. Aug. 1771. atque in Templo Societatis tumulatus.

P. MICHAEL RODRIGUEZ

EXimiæ innocentiæ, ac religiosæ perfectionis exemplum, quoad vixit, nobis exhibuit P. Michael natus 28. Oct. 1728. Compoſtellæ celeberrima Callaici Regni Urbe, et toti chriſtiano orbi notiſſima ob ſacras exuvias Jacobi Apoſtoli, quas aſſidua peregrinorum frequentia veneratur, ac colit. Familiam ſortitus eſt honeſtiſſimam illam quidem, pietate vero, ac religione multo illuſtriorem, quæque ju-

juſto, ac debito loco habitis bonis, fortuniſque terrenis, nihil habebat honeſtate antiquius, quam ut ab teneris familiæ alumni omnes ſequerentur, ſatagebat diligentiſſime. Res fuit nullius negotii virtutis amorem mirificum in Michaelis corde inſerere; namque divino beneficio eam naturæ indolem virtuti accommodatiſſimam obtinuit, quæ jacta religionis, pietatiſque ſemina avide arriperet, et in fructus celerrime promoveret uberrimos. Neque otioſam etiam ætate illa paſſus eſt terram parens optimus, qui cum mature animadvertiſſet filii indolem, ingenii acumen, mentis docilitatem ſingulari cum innocentia, honeſtatiſque amore conjunctam; omnem operam contulit, ut primis ab annis noſtræ religionis regulis, ac præceptis pleniſſime erudiretur egregius puer, quem a Deo in præcipuis benedictionibus dulcedinis præventum intuebatur:

Interea puerulum ſuſcipiendis primis Latinæ Linguæ elementis aptum, atque eruditum, et ab ea ætate animi propenſionem ad res Eccleſiaſticas oſtendentem edocendum tradidit Societatis urbis illius Magiſtris, quos ipſe ſciebat, in excolenda litteris, ac virtutibus juventute diligentiſſime inſudare. Neque hac ſolicitudine contentus, ut innocentis pueri animus quam poſſet maxime ab procacium aliorum conſortio, ac familiaritate abeſſet, in quam offenſionem impingere facile ſolet incauta ætas; ipſe Pater chariſſimum filium ad ſcholas uſque deducere

cere, ab hiſce in domum reducere ſuam, deſpectis curis aliis, ſatagebat; præſtabatque id eo libentius, quo id accidere gratius filio intuebatur, qui ſi aliquando hoc paterno officio privabatur, quam iſtud ægre ferret dulcibus patri querelis ſignificabat. Hac diligentia cum excoleretur, et ingenii vires omnes ad comparandas Latii ſermonis regulas conferret; brevi idoneus eſt habitus, qui Philoſophicis ſtudiis addiceretur, quo in curriculo præceptorem nactus eſt clariſſimum Virum Franciſcum Xaverium Idiaquez, qui tradendæ in ea Urbe Philoſophiæ fuerat deſtinatus; dumque naturali hac ſcientia imbueretur, cæleſtium amore inflammabatur ardentius. Statuit ſcilicet terrenis omnibus valedicere, æternamque ſalutem tutiore in loco collocare, in quo deligendo longa deliberatione uſus non eſt; cum enim præceptorum ſuorum modeſtia, induſtria, comique agendi ratione plurimum delectaretur, facile ſibi perſuaſit, rebus ſuis maxime convenire Inſtitutum, quod ab ſe non poterat non probari vehementer. Vota cum præſidibus ſignificaſſet, pro ea, quæ erat de ejus ingenio probitate, innocentiaque opinione, facile conſecutus eſt quod optabat, facta ei poteſtate, ut quam primum veliet Villagarciense in Tyrocinium proficisceretur arrepti inſtituti elementis, reguliſque erudiendus.

Relicta igitur urbe patria, et benevalere juſſis optimis parentibus, queis chariſſimi filii diſceſſus,

pro

pro naturali ſtudio, accidebat ingratiſſimus; in Tyrocinium venit, quodque vehementer optabat, Tyronis veſtem induit ipſo ſacro B. Aloyſio die 1747. quem puer præcipuum ſibi patronum adſciverat, et cujus exempla propius perſequi conſtituerat. Quanto id ſtudio conſecutus ſit, teſtantur qui modo reliqui ſunt illius temporis Tyrones, apud quos viget memoria modeſtiæ angelicæ, exemplorumque virtutum omnium, quibus Michael præibat ceteris; cum eſſet nemo in exequendis imperatis promptior nemo in excolendis internis animi affectibus ſolicitior, nemo qui divinas perfectiones tractaret alacrius, uberiuſque ſocios inter ſuos, ut appareret cæleſtis ille ignis, quo æſtuabat cor, et quanto ardore ſatageret, ut ab ceteris maximo Divinum Numen amore, cultu que proſequeretur. Hoc erat unum ſermonum ejus familiarium argumentum, quod condire ipſe ſolebat exemplis aliorum Beatorum, qui plura, et illuſtriora hujuſce amoris monumenta nobis reliquere.

Hoc divino amore inflammatus adeo eſt, ut ab eo ardentiſſimum illud deſiderium prodierit ſuſtinendi aſperrima quæque, ac difficillima, ut amor idem in proximorum cordibus altiſſime infixum dominaretur. Quare cum ſtudiis navaret operam diligenter, et ſæpe animo volutaret, qua poſſet ratione aliorum ſpirituali commodo vires, conatus, vitam dicare ſuam; ſenſit internis ſtimulis excitari, ut

miſſionibus tranſmarinis deſtinari poſtularet, ut eſſe autem propriæ voluntatis expers vellet, et nihil ſuſcipere auderet, quod ab præſidum pleniſſimo arbitrio non proflueret, ſignificavit vota ſua Societatis univerſæ Præpoſito, ut hic id decerneret, quod Deo futurum gratius arbitraretur. Facta in Americam proficiſcendi poteſtate, valedixit incredibili alacritate, ac voluptate regionibus hiſpanienſibus, et navigationis ſociis ea dedit virtutum omnium experimenta, obquæ non ab religioſis ſolum viris, ſed ab infimis etiam nautis communi vocabulo *Sanctus* appellabatur. Inſerviebat omnibus ſingulari charitate quocumque in miniſterio abjectiſſimo etiam, ac laborioſiſſimo hilaris ſemper, ac modeſtia mirabili; quodque reliquum erat ab hiſce miniſteriis tempus dabat integrum ſpirituali lectioni, cæleſtium meditationi, ferventiſſimis precibus, quibus Divinam opem pro ſe', ſuiſque implorabat. Ab hiſce aliquando revocabatur, ut diſcordes animos ad pacem concordiamque compelleret, qua in re mira facilitate, ac dexteritate pollebat, cum ab omnibus veluti incorruptæ innocentiæ, juſtitiæque exemplar intueretur.

Limæ confecto ſtudiorum ſuorum curriculo ingenii, doctrinæque laude, dum tertio probaretur eo ſpiritus fervore, quem numquam ſcholaſticæ curæ retardarant; ſenſit internis veluti vocibus ad Moxenſium eruditionem invitari: id erat quod ſummis

mis ipſe votis optabat, at ne hac in re quidquam eſſet propriæ voluntatis, deſideria in corde accenſa præſidibus ſignificavit ſolum ratus non alia quam obedientiæ via innoteſcere ei divinam voluntatem debere, nulloqua habenda loco deſideria, quæ libera ſuperiorum voluntas non confirmaret, promoveretque. His vero cum Michaelis religioſiſſima vivendi ratio, ardenſque promovendæ proximorum ſalutis ſtudium eſſet notiſſimum, ne miſſiones illæ tanto miniſtro diutius privarentur, etiam non confecto tertiæ probationis anno, facta eſt ei poteſtas in illas regiones penetrandi, et populo addictus, qui a *Sacra Deſponſatione* dicebatur.

Præerat illis populis (nam neque gente una, neque una lingua oppidum conſtabat) Didacus Jurado etiamnum ſuperſtes, ſub cujus diſciplina, viri ſcilicet illis in miniſteriis exercitatiſſimi, poſuit apoſtolatus ſui Tyrocinium Michael tanta conſtantia, tamque invicta patientia, ut utraque eſſet Didaco et admirationi, et incitamento. Suſcepit linguarum, quibus populi partes potiores utebantur, ſtudium tanta aviditate, ut brevi tempore catechizandis populis, excipiendis confeſſionibus, adminiſtrandis reliquis ſacramentis aptiſſimus ſit habitus. At ea erat ipse animi demiſſione, ut cum omnium ſpe citius, uberiuſque laboraret; ſervum ſe inutilem, ignavum, otioſum exiſtimaret, et pudore ſuffunderetur, quoties Socium ſuum ſtrenue laborantem in-

tueretur. Longe vero alia erat Præſidum de eo ſententia; hi namque haud multo poſt minime dubitarunt præcipuas populi curas totas Michaeli committere, cum Didacum ab illis gentibus revocaſſent. Neque tunc quidem ſibi viſus eſt laborare cum tanti populi pondus ſolus ſuſtineret, ardentiſſimum enim, quo æſtuabat, maximorum laborum ſtudium illis curis non poterat exſatiari.

Exsatiari ſane potuiſſet, niſi cæleſtis ignis laboribus ipſis accenderetur ardentius, cum dira lues tota illa in gente graſſaretur. Creſcebat curſim eorum numerus, quos teterrima peſtis infecerat, jamque pro multitudine languentium exigui erant ii, qui opem ferre ægris poſſent. Præibat omnibus Michael, et cum ſolicitudinem omnem ſuam in id contuliſſet, ut omnes Eccleſiæ Sacramentis rite, ac mature munirentur, percurſaretque aſſidue domos omnes, quin ullus quieti diurnæ, vel nocturnæ eſſet locus, obibat ſtrenue medici, miniſtrique partes omnes, ægrorum *amacas* (hoc nomine pendulos lectulos reticulatos vocant, quibus vulgo utuntur, ut ab infectis plurimis, venenatiſque animalculis dormientes tueantur) tergebat, componebatque; id vero tanta alacritate præſtabat, ut quo divino ardore, quantaque in neophitos ſuos charitate urgeretur facile appareret. Cum adeo uberem curarum, laborum, ſudorumque ſegetem nactus eſſet, in qua reficiendis corporis viribus nec tempus, nec locus ſupe-

pererat ; ſolo illo divino beneficio fraudatus viſus eſt, quod optarat ardentiſſime, ut ſcilicet præſtita neophitis ſuis omni ſpirituali, ac corporali opera, ipſe exemplo Angelici Aloysii, quem ſibi imitandum propoſuerat, eadem lue correptus occumberet.

At Deus, qui ſacrificio voluntatis, deſideriique illius contentus, mortis ei genus illud abnuerat, quod alacri, atque hilari vultu ſubiiſſet, paraverat aliud longe acerbius, quod intueri ipſe multis ſine lacrimis non poſſet. Nam cum regio ex decreto juſſus eſſet chariſſimos ſibi illos populos deſerere, et in hispaniam renavigare, tanto animi dolore eſt affectus, ut in uberrimas lacrymas effuſus ſit, quas ſolum retinere, atque temperare potuit pleniſſima illa in Divina voluntate conformatio, qua caſus omnes, etiam acerbiſſimos, excipiebat. Nihil propriis periculis, laboribuſque movebatur, in quæ irruebat alacriter lucri loco habens maximi vitam in iiſdem ponere: adſpectus vero deſertionis tot filiorum, quos Chriſto genuerat, pericula maxima, in quibus iidem verſabantur privationis ſacri miniſtri, qui colendis eorum animis inſudaret, cum præter regionis illius incommoda plurima, atque graviſſima, linguarum diſcendarum labor inevitabilis facile quemquam poſſet vel a ſuscipiendo, vel a perſequendo munere illo retardare, opprimebat acerbiſſimo mærore mentem, et cor funeſtiſſimis ſtringebat anguſtiis tetra imago imminentis morum, reli-

gioniſque jacturæ. Hoc mærore, ac lacrymis poſtremum valedixit chariſſimis ſibi Neophitis, et octingentarum leucarum viæ ſe commiſit nihil habens antiquius divina voluntate, cui ſe ſubmittere in omnibus religionis ſuæ caput eſſe ducebat.

Superatis longi itineris, longioris etiam navigationis difficultatibus omnibus tandem Ferrariam venit, et requieſcere juſſus ab omni in proximos ſuos opera, is, cui labores maximi leves paulo ante videbantur, ſenſit brevi graviſſimis valetudinis incommodis gravari. Morbus is erat, quo fato functum glorioſiſſime Sanctiſſimum illum Principem Caſimirum ex Eccleſiaſticis faſtis accepimus: Michael vero morbum, et morbi medicinas tanta innocentis animi, mentiſque puritate ſuſtinuit, ut ejus naturam prorsus neſciret; namque, ejuſdem Directore teſte, vir fuit, qui ne cogitatione quidem quidquam umquam adverſus angelicam virtutem ſenſerit.

Cum Ferrarienſe cælum medendis morbis, quibus vexabatur, minus aptum videretur; juſſus eſt Michael migrare Ravennam. Hac in urbe plurima reliquit ſociis ſuis invictæ patientiæ monumenta: namque inter diuturnos, graveſque dolores, quibus vexabatur, nullum umquam ab gemitu ſolatium requirebat, numquam eſt ore immutatus, eandem ſemper animi conſtantiam, eandemque alacritatem oſtendens, quæ invincibilis videbatur; cum neque deficientibus corporis viribus, neque violentia morbi

bi invaleſcente, quidquam ex robore ſuo remitteret. At interea adventare ſupremum vitæ diem, et morbi viribus cedere naturam cum medici intuerentur; corroboratus eſt Michael Eccleſiæ Sacramentis, et quamvis feſto die B. Aloyſii mortem non obierit, ut optabat, obdormivit placidiſſime die 25. Junii 1773. cum crebro iteraret dulciſſima Jesu, et Mariæ nomina, in quibus tranquillæ mortis obtinendæ ſpes omnes ſuas collocarat. Dormientis potius placidiſſime, quam extincti ſpeciem cum corpus exhiberet; frequens factus eſt ad ejus exequias concurſus, et cæpit plurimis proſequi laudibus religioſiſſima ejus vitæ ratio.

Neque immerito; ad innocentiæ namque, angelicæque caſtitatis virtutem, quam pro inſtituto noſtro curſim innuimus, addiderat Deus acerbiſſimæ pænitentiæ ſpiritum, quo corpus jejuniis, vigiliisque fractum cruentabat crebris verberationibus, ferreiſque ciliciis ita arcte ſtringebat, ut claudicare ſæpe cogeretur ſæpe ſine acri dolore loco ſe movere non poſſet. At nec hiſce cruciatibus ſponte ſuſceptis contentus erat; indulgebat culicibus, inſectiſque aliis moleſtiſſimis, cruentiſque amplam in corpus ſuum facultatem, fortiter patiens, ut quanta vellent crudelitate ſævitent, cum nullo inſtrumento, ne manu quidem ea ab corpore, ac ſanguine arceret; ex quo fiebat, quod neceſſe erat, ut aliquando vultus ejus totus aſſiduis morſibus deturpatus appareret. Addi-

derat etiam eximium paupertatis amorem, obedientiæque, quibus virtutibus ita emicuit, ut præſidum ſuorum nutus anteverterit ſemper, in maximis minimisque ab iiſdem totus pendens, et quæ vulgo neceſſaria religioſo etiam viro exiſtimantur, ea ipſe ſuperflua ſibi arbitrabatur. Itaque quoties interrogabatur, an ullius rei ſibi eſſet opus? reſpondebat alacriter, eſſe ſibi ſufficienter proviſum: pauperrimus profectus eſt in gentes illas apoſtolatui ſuo commiſſas, eandem paupertatem ſectatus conſtanter eſt ad mortem uſque.

Iſtæ vero virtutes maximo illo nitebantur fundamento præcipuæ animi demiſſionis, qua ab aliis illatas moleſtias ferebat alacriter, et morem gerebat omnibus quacumque in re honeſte poterat. Reverebatur non modo ſocium ſuum, a cujus nutu pendere totus volebat, ſed Indos etiam ſuos, ac ſi eorum omnium miniſter eſſet, et ſervus; talem ſe ipſe profitebatur, et quidem indignum, cui vel neceſſaria quiſque provideret. Itaque quoties accipere aliquid cogebatur, præſtabat id ſuffuſus pudore, et plurimis gratiarum actionibus tantam in ſe largitatem proſequebatur. Fugiebat occaſiones omnes, in quibus ejus appareret ingenium, cumque eſſet excultus doctrina, etiam quæ ignorare non poterat, ab aliis quandoque requirebat, ut rerum expers, tardus quoque haberetur. Hac abjectiſſima ſui opinione maximum ſese profitebatur peccatorem, digniſ-

gniſſimumque, qui æternis ſuppliciis deſtinaretur. Cumque hæc ingeminaret crebrius poſtremis vitæ ſuæ diebus, qui ei adſtabat ſocius hortabatur, ut ut ſpem maximam in infinita Divina Miſericordia collocaret. Michael, imo et firmiſſimam, inquit, in eadem ſemper posui, quamque divinum donum toto vitæ meæ tempore exiſtimavi, pro quo quas potui maximas gratias egi, ex quo præcipue e ſæculi periculis, atque aſſiduis procellis ereptum ad Societatis ſuæ me portum infinita Dei Bonitas, ac miſericordia perduxit.

R. D. BALTHASAR MARQUESIUS

QUi ſingulari Dei beneficio ab turbis, terreniſque curis et turbinibus ad religioſa clauſtra perducuntur juvenes, ſolent ab magiſtris, et ſpiritus ducibus hocce certiſſimo principio erudiri; nullum eſſe iter ad perfectiſſimam conſequendam virtutem tutius breviuſque quam ſuperiorum ſese arbitrio, poteſtatique committere, et imperata quæcumque alacriter, fideliterque exequi. Non enim ab religioſo

Vi-

Viro querendum quam luminoſis in muneribus vitam duxerit, quantam nominis, doctrinæque celebritatem conſecutus ſit; quantum ingenii acumine valuerit: ſed quo ſpiritu ea obierit, quæ ejus curæ, ac ſolicitudini commendata fuerint; cum fieri crebro ſoleat pro naturæ noſtræ infirmitate, ut qui in infimis, ignobilioribuſque miniſteriis rudis, ac litterarum expers vitam duxit, ad veram perfectionem pervenerit, cujus nequidem umbram quandoque attigit, qui primis honoribus in eadem familia functus eſt. Hujuſce certiſſimæ doctrinæ exemplum hisce noſtris diebus egregium exhibuit nobis Balthaſar, cujus memoriam pro eruditione noſtra juſtis laudibus proſequimur, et ad poſterorum commodum, utilitatemque litteris mandamus.

Natus eſt Balthaſar Limæ 1709. nobili, clariſſimoque loco, et vix pueritiam egreſſus, captus cum eſſet eccleſiaſticæ vitæ amore, ac deſiderio, in id totus incubuit, ut iis litterarum elementis imbueretur, quæ ad artes reliquas, ſcientiaſque ſacris viris neceſſarias aditus oſtendunt. Hæc cum optimi parentes intuerentur; filium naturæ indole, ac moribus egregium Societatis magiſtris erudiendum tradiderunt, ut mente, atque ſpiritu pro earum ſcholarum more ſimul informaretur, promptus eſſet ac paratus ad qualemcumque vitæ ſtatum a Deo vocaretur. Morum innocentia, comis ac dulcis agendi ratio cum diligentia, atque ſtudendi ſolertia magi-

giſtrorum amorem primum, præcipuas deinde curas in eo excolendo excitarunt. Emicabat jam tum inter alumnos omnes ejus virtus, ac honeſtas, hauriebatque ſenſim Balthaſar ſenſus illos, quibus ad terrenarum rerum omnium contemptum, ad Crucis Chriſti amorem inflammabatur: ſentiebat internis motibus admoneri, ut Societati Jesu adſcribi poſtularet; id vero ne cuiquam indicaret, prohibebatur demiſſima ſui opinione, et altiſſimi miniſterii cognitione. At cum ætatem jam attigiſſet deligendo vitæ Eccleſiaſticæ ſtatui aptam; ſenſus aperuit internos præceptori ſuo, qui cum propoſitum maxime probaret, ut vota ſua parentibus, ac propinquis aperiret, auctor ei fuit. Aſſenſere poſtulantis deſideriis utrique, ac Balthaſar religiosæ vitæ tyrocinium ſuſcepit 10. Feb. 1724.

Res fuit ei parvi negotii religioſis ſese inſtitutionibus accommodare, cum eam vivendi rationem ad illud tempus eſſet proſecutus, quæ ab tyronum ritu, moribuſque parum abeſſet. Itaque primis tyrocinii temporibus cæpit præluceré cereris Sociis perfectiſſima regularum cuſtodia, et conatu ardentiſſimo icapiendæ virtutis omnis, cum numquam ſtimulis excitandus, cohibendus fræno ſæpe fuerit, ne deficientibus corporis viribus in ipſo religioſæ vitæ exordio ipſe quoque deficeret. Ad quas eo temporis virtutes fundamenta collocavit, eaſdem ad mortem uſque perſecutus eſt conſtantiſſime, quin

ab

ab propoſito defecerit, aut retardatus fuerit, alienis curis diſtractus, ſive cum Philoſophicis ſtudiis, ſive cum Theologicis navaret operam, quo tempore ita ejus perfectiſſima vitæ ratio ab reliquis Scholaſticis celebrabatur, ut omnes eum veluti religionis, pietatis, obſervantiſſimæ regularum omnium cuſtodiæ exemplum intuerentur, quod ſibi imitandum proponerent, quoque ad ſuſtinendos acriter ſtudioſæ, ſpiritualiſque vitæ labores corroborarentur.

At ſuſceptum ſtudiorum curriculum cum longius proſequi, Deo ita diſponente, Balthaſar non poſſet, efflagitabat ab præſidibus ſuis, ut temporalium coadjutorum ordini adſcriberetur, ducturus vitam in humillimo gradu, qui contendere ad altiora non poſſet. Dum id consequi ſperabat, audivit non ſine ingenti ſtupore imperari ſibi, ut ſuſcipiendis ſacris ordinibus pararet ſese, ſacerdotio initiandus, ubi ad ætatem eccleſiaſtico jure requiſitam perveniſſet. Difficile dictu eſt quæ excogitavit, expoſuitque ut tantum honorem, viribus ſuis adeo impares declinaret: at cum videret præſides diverſa nihilominus ſentire, eorumque parere nutibus eſſet paratiſſimus; ſubjecit ſe impoſito oneri, et Sacerdos initiatus id a Deo enixe poſtulabat, ut cuicumque muneri deſtinaretur vel humillimo, quod magis erat in votis, ei fideliter, perfectiſſimeque famularetur. Juſſus eſt prædia ruſtica adminiſtrare, quorum ſingula pro gentis illius more, proque amplitu-

tudine hominum numerum alere ſolent, qui pago noſtro eſſormando prope ſufficerent. Id muneris ex præſidum præſcripto ſuſceptum tanta honeſtate, fide, utilitate, omnium probatione geſſit, ut conſtituto prædio omnique ære alieno liberato, ad alterius adminiſtrationem vocaretur; atque ejus induſtria ſublevarentur collegia plura, quorum res familiaris ad extremum exitium ruebat.

Hoc in munere, quod tantum aliis afferre vulgo ſolet negotii, tantumque diſtractionis ab ſpiritualibus procurandis, emicuere Balthaſaris virtutes ingenteſque animos ruſticis illis hominibus addidere, qui ejus exemplis impulſi ad honeſtatem omnem ſequendam vehementer accendebantur. Cujus rei teſtis oculatus maximus ille Vir Beltranus Herbert cum Balthaſaris prædium viſitaſſet Provinciæ Præſes, teſtimonium dedit toti collegio ampliſſimum, dicere palam minime dubitans, ſolum Balthaſarem ab illis ruſticis tantam ſpiritualis frugis meſſem religioſiſſimæ vivendi ratione referre, quantam vix obtinere poſſent ab civibus ſuis qui in eo collegio laborabant operarii omnes.

Neque adulari voluiſſe exiſtimandus eſt vir integerrimæ fidei, et verborum parciſſimus, cum præſertim apud illas gentes tanta Balthaſar virtutum laude floreret, ut communi vocabulo *Sanctus* appellaretur: quam ſui exiſtimationem excitarat aſſidua virtutum exercitatio, quæ quamvis magna poſ-

ſet

ſet parte latere, neceſse erat tamen, ut domeſticis appareret, externiſque, quibuscum negotia tractare, ac definire debebat. Cum enim in victus ratione ipſe ſibi provideret, eo utebatur vulgari, ac parciſſimo: veſtitu obſoleto delectabatur, corpus ſingulis noctibus excipiebat acerbiſſima verberatione, ad cujus ſtrepitum horrebant ſervi, qui haud procul ab ſacello morabantur, in quo ipſe tam acriter ſæviebat in ſe ipſum. Neque voluntariis hiſce cruciatibus contentus erat, ut angelicam virtutem tueretur in maximis illis ſolitariæ vitæ periculis; armabat ſiquidem ſese ferreis ciliciis, quæ arctiſſime adſtringebat quoties ex munere colloqui cum altero ſexu deberet, in quem nunquam oculos intendere, nunquam ſine teſtibus alloqui, numquam audire niſi in patenti loco ſolebat: venturis ad ſe fœminis imperabat, ne ſine ſocio venirent, ſuum ipſe etiam adhibebat, ac ne ulli occaſio pateret ſiniſtræ ſuſpicionis, ſciebant omnes conveniendum ipſum interdiu, apertoque in loco; noctu nulli ad eum aditum futurum.

Quamvis tantis negotiis implicaretur vir perfectionis ſtudioſiſſimus, nanciſcebatur plures horas diurnas, nocturnaſque quieti, ac ſolatiis ereptas, quas cæleſtium meditationi, ſacrorum librorum lectioni, plurimis quotidianis precibus tribueret: quibus exercitationibus fovebatur, novaſque vires ſumebant virtutes illæ, in quibus tantopere emicabat. Amor præ-

præcipue paupertatis, quo ſpiritu ab terrenis omnibus ita diſtrahebatur, ut, quoties ab prædio jam rite conſtituto laboribus ſuis, ac curis, ad novum reficiendum vocabatur, promptus eſſet imperantis vocibus, ac ſi omni cura, ſtudioque vacuus reperiretur. Neque res domeſticas ita promovebat diligenter, ut non perſuaderet ſibi, etiam in temporalium rerum adminiſtratione debere ſe ab omni aliena offenſione abeſſe plurimum, et proximorum promovere quantum poſſet commodum, ſpiritalemque utilitatem. Procul proinde ab omni aviditatis vel umbra etiam tractabat rem familiarem ea ſolertia, quæ religioſum virum maxime deceret; ea requirens, quæ præterire ſine injuria non poſſet, atque ita exigens, ut privato nemini nova moleſtia adderetur. Ceterum ut qui in rebus terrenis ejus imperio gnaviter ſuberant, in excolendis virtutibus non eſſent ſegniores, fovebat in iiſdem pietatem, religionemque feſtivos dies Domini, ac Beatiſſimæ Virginis ea pompa, atque apparatu in ea ſolitudine celebrans, qui optimos, religioſiſſimoſque in eis excitare ſenſus poſſet, eorumque animos ad virtutum amorem provocare.

Intentus hiſce miniſteriis ejus curæ commiſſis attigerat ætatis annum prope ſexageſimum, et communi ceteris ſociis lege juſſus eſt ab longinquis illis regionibus in Italiam exul navigare. Cum ſciret quanta eſſet propoſita merces in ſuſtinenda alacri-

criter tanta rerum viciſſitudine; commiſit ſese ſtrenue laboribus, ac periculis terra, marique ſubeundis, certus exequendi divinam voluntatem, cui dudum addixerat omnem ſuam. Neque erat quidquam, quod faceſſere negotium poſſet viro, cui ab tenera ætate id dumtaxat oculis obverſabatur, animæ ſcilicet ſalus, pro qua non anguſtias modo, laboreſque maximos, ſed mortem ipſam acerbiſſimam ſubire minime dubitaret. Huic procurandæ ſaluti cum obſiſtere humana omnia nihil poſſe ſciret, ac certo ſibi perſuaderet, Deum, a cujus nutu omnia pendent, ubique, acerbiſſimis præcipue in tribulationibus invocantiuns eum præſto eſſe, ſuſcepit ab Divina Providentia difficilem illam ſane occaſionem novum ſe in Holocauſtum ſupremo Numini exhibendi, et ſolius æternæ ſalutis ſolicitus, cogitationes omnes ſuas ad eam obtinendam revocavit.

Ferrariam cum veniſſet, exantlatis terra, marique laboribus plurimis, omnique terrena cura vacuus; ducebat integros dies vel in ſolitudinis ſuæ ſeceſsu procul ab omni ſolatio, precibus, ſpirituali lectioni, meditationi cæleſtium vacans, vel egreſſum domo excipiebant ſacræ ædes, in quibus genuflexus perſtabat ante Ven. Euchariſtiæ Sacramentum, Beatos deinde precibus ſuis proſequens, et piacularibus pœnis afflictos vita functos, erga quos mira charitate ferebatur, infinitæ miſericordiæ Patri acerbiſſimis cruciatibus ſponte ſuſceptis enixe com-

commendabat. Hæc inter debilitari corporis vires, frangi oris colorem, macreſcere toto corpore, ut ab Sociis lenta ab febri, phthiſi etiam conſumi crederetur. Ipſe vero languores, ægritudineſque æquo animo ferens, exerebat vires omnes, ne cuiquam moleſtus eſſet, donec 2. Jan. 1774. cum extingui vires ſentiret, ſummo mane contubernalem vocavit et quo eſſet valetudinis ſtatu edocuit. Vocatus medicus cito edixit, ut Sacramentis Eccleſiæ ſtatim muniretur. Tenerrimis cordis affectibus roboratus Sacramentis, cum ſequentem noctem duxiſſet virtutum actus iterans, mane placidiſſime in Domino obdormivit ætatis anno 65. et ſequenti die in S. Stephani templo eſt tumulatus.

R. D. ANTONIUS CLARAMUNTIUS

ARbos, quod oppidum eſt Catalaunenſis Principatus, honeſto loco natus eſt Antonius 21. Martii 1712., latinæque linguæ elementis inſtructus, religioſæ vitæ Tyrocinium iniit Tarracone 30. Martii 1730. in ea virtutum omnium ſchola cum exercendis iis ſtrenuam navaret operam; præcipuum contulit ſtudium comparandæ patientiæ, cujus amore ſingulari affectu trahebatur, et quam præ cæteris in apoſtolica vivendi ratione neceſſariam arbitrabatur. Hujus præcipue virtutis exercitatione præibat ceteris ſociis ſuis, occaſiones omnes avide arripiens, inquibus una cum humilitate corroborari, ac perfici virtus eadem poſſet. Mos erat tyronibus illis quibuſdam in pervigiliis prandium emendicato quærere ab PP. Minoribus Capuccinis, quorum contubernium procul ab urbe, inter mendicos plurimos ibi condicta hora ſubſidii ejuſdem cauſa confluentes. Hanc provinciam crebro ſibi depoſcebat Antonius, inqua præter paupertatem, animique demiſſionem, patebat aditus exercendæ patientiæ amplif-

pliſſimus; excipi namque ſibilis, atque cachinnis ſolebant Tyrones, impeti deinde exprobationibus ab compranſoribus illis, quorum mentibus alte inſederat opinio, eſſe illam pænam ab præſidibus inflictam; nulli autem iniungi illam ſolere, niſi qui fuiſſet graviſſimi erroris reus. Itaque neceſſe erat ludibria, exprobationeſque imperturbato ore ſuſtinere, ac patienter ferre reum haberi qui ultro ſibi eam patiendi occaſionem depopoſcerat. Hæc, et ſimilia exercendæ patientiæ, humilitatiſque tempora cum avide quæreret, alacriterque proſequeretur Antonius, haud minus ſtrenue ſecretioribus indulgebat; namque ut carnis impetus compeſceret, et corpus in pleniſſimam ſervitutem redigeret, ferreis ciliciis, cruentiſque verberationibus ita ſe lacerabat, ut illius vires ſpiritus fervori ceſſerint, et morbo correptus fuerit, a quo relevari, niſi interdicta illa acerrima mortificatione non potuit.

Aſperrimam igitur perſequi vitam cum pro corporis infirmitate non poſſet, aliam iniit ſpiritui non minus moleſtam; ſtatuit ſiquidem ab ſuperiorum ſuorum arbitrio, nutuque ita pendere, ut nihil umquam, quocumque obtentu recuſaret, quod ipſi decreviſſent, numquam relevari poſtularet ab onore, quod ei fuiſſet impoſitum. Hoc ſpiritu ductus religioſis cum ſe votis Deo conſecraſſet, excultus denuo oratoriæ præceptis juſſus eſt dare operam Philoſophicis ſtudiis Palmæ, quæ Majoricenſis inſulæ

metropolis eſt, quo tempore naturalis ſcientiæ comparandæ ſtudio, ac curis adeo non eſt ab colendæ virtutis ardore retardatus, ut cum in illis proficeret plurimum, et inter condiſcipulos ejus ingenium, ac doctrina emicaret, in hoc fuerit multo uberius, copioſiuſque verſatus. Immittebat Deus patientiæ cultori egregio crebras occaſiones, in quibus ejus hæc virtus creſceret, ac perficeretur; iiſdem ita ille utebatur, ut quibuſcumque criminationibus impeteretur, ne verbum quidem in defenſionem ſuam adduceret, ſperans eas vel ab patientia diluendas, vel ejuſdem virtutis incremento maximo ſuſtinendas, quam numquam caro comparari poſſe arbitrabatur. Expoſuerat interea universæ Societatis Præſidi deſideria, quæ accendi in corde ſuo ſentiebat, inſudandi in transmarinis populis excolendis, ubi uberrimam patiendi ſegetem ſciebat; ut certior ille factus ſpiritus, quo agebatur, ſtatueret pro libito, decerneretque quod e re Divina fore intelligeret. Itaque confecto maxima cum laude Philoſophiæ curriculo, juſſus eſt in Americam navigare Peruvianæ Provinciæ adſcriptus. In longa illa moleſtiis, laboribuſque plena navigatione ea invictæ patientiæ documenta dedit, quæ cum intueretur Socius etiamnum ſuperſtes, ita eſt admiratus, ut profiteretur virum ſe vidiſſe neminem patientiorem. Conferebat quam poterat ſingulis opem, nautis catecheſim exponebat, eoſdem ad patienter ſuſtinendos

dos labores, moleſtiaſque brevibus cohortationibus corroborabat, quæque ab ejuſdem exemplis omnibus manifeſtiſſimis vim perſuadendi maximam accipiebant. Hocce benemerendi de omnibus ſtudio ad portum Limæ proximiorem appulit, qua in urbe ſacris ſtudiis maxima cum laude excultus, ac ſacerdotio initiatus tertio probari juxta Societatis inſtitutum eſt juſſus.

Liber eo anno ab omni ſtudiorum cura cogitationes ſuas omnes ad ſpirituales exercitationes contulit, ad quas nullus diſcendarum ſcientiarum amor eum ſegnem reddiderat. Itaque ſibi, ac Deo vacans, id unum præ oculis habebat, ut quas dudum perſequebatur, virtutes altiſſime in corde ſuo defigerentur cæleſtium præſertim meditatione, ac propriæ infirmitatis, ab qua in caducarum rerum contemptum pleniſſimum ferebatur, et in æternarum deſiderium, in quo uno quieſcere ſibi poſſe videbatur. Exequebatur vivendi rationem præſcriptam tanta aſſiduitate, et alacritate, quantam in ſolertiſſimo tyrone quiſquam admiraretur: emicabat angelica modeſtia, colebat receſſus ſui ſolitudinem, et præſens divinum Numen ubique intuens aſſiduis colloquiis proſequebatur, quibus mirifice in ducendæ vitæ conſiliis, corroborabatur, quorum exequendorum tempus inſtabat propius,

Confecto namque tertiæ Probationis anno, etſi internis ſtimulis vehementer urgeretur, ut vota ſua

præſidibus aperiret, ducendi ſcilicet vitam gentes inter infideles; ſtatuit nihilominus ab eorundem nutu omnino pendere, ne quid in miniſterio eſſet voluntatis propriæ, et in eo munere totus inſudare, cui addiceretur. Miſſus eſt ad S. Crucis *de la Sierra* urbem, ut erudiendæ juventuti litteris, chriſtianæque honeſtatis regulis omnem operam conferret. Hac in urbe crebro iterare propriæ voluntatis ſacrificium cogebatur: cum enim ibi pateret aditus ad infidelium illarum gentium culturam, excipiebat hoſpitio ſæpe miſſionarios, qui excolendis illis populis deſtinabantur, quibus ſortem cum invideret plurimum, eandem ne obtineret, prohibebatur ab propoſito deſiderii, voluntatiſque omnis ſuæ ſacrificio. Vacabat interea adoleſcentium eruditioni, labori nulli parcens, ut uberrime omnes litteris, uberius honeſtatis, ac chriſtianæ perfectionis elementis erudirentur; vacabat et reliquis miniſteriis ſtrenui operarii partes omnes gerens. quantum impoſiti ſibi oneris ratio patiebatur. Hoc onere laborioſiſſimo moleſtiſſimoque functus eſt ſeptemdecim totos annos tanta alacritate, ac ſi nulli alii gerendo muneri idoneus judicaretur, certuſque in eodem ſenescendi, ſi eo eſſet ſublevandus vel voce, vel ſignificatione voluntatis ſuæ.

At qui tot annos Antonium in humili illo gradu tenuerat Deus, voluit eundem in illuſtri loco collocari, et præeſſe ceteris, qui obſcuritatem, igno-

bilitatemque humanæ cuicumque gloriæ longe præferebat, cum sciret quantum hæ conferrent ad intimam cum Deo unionem, quam solam sibi in amore, ac deliciis habendam probe intelligebat. Præfectus est Julienſi domui, inde Cuzcano Tyrocinio; datus est Comes Provinciæ Præpoſito, et ut omnes intelligerent quantum ejus regendi ratio ſupremis Præſidibus probaretur, juſſus est toti Provinciæ præesse. Arduum totius ſuæ voluntatis ſacrificium, quod dudum Deo obtulerat, credo multo ipſi gravius accidiſſe in ſuſcipiendis hiſce honoribus, quam in ſuſtinendis tot annos erudiendorum puerorum moleſtiis. At ſibi ſemper conſtans, et Deo fidelis ſubjecit se præſidum voluntati, et aggreſſus est munus, cujus honores cum nihili faceret, onera certe graviſſima, plena ſolicitudinis, longique laboris ſtrenue ampiectabatur.

Religioſi Rectoris cum primum, præcipuumque munus eſſe duceret exemplis potius, quam verbis reliquos omnes ad perfectiſſimam vitæ formam ducere, ac ſtimulare, ita prælucere ſociis ſuis cæpit, ut virtutum omnium exercitatione nemo illo diligentior haberetur. Exequebatur primus quæ religioſæ vitæ ratio exigit, quin umquam negotiorum ullorum obtentu communi officio deeſſet; nemo illo modeſtior, nemo illo ad humillima quæque promptior, paratiorque. Colebat ſingulari ſtudio pauperatem, quam fovendis reliquis virtutibus arbitraba-

tur valde neceſſariam; abſtinebat quantum pro munere poterat ab ſæcularium familiaritate, feceſſus religioſi cupidiſſimus; inceſsu, cultu corporis, virtutum omnium ſtudio talem ſe omnium oculis exhibebat, ut perfectiſſimus is haberetur, qui Præſidi ſuo ſimilior videretur. Cum ceteris præeſſet; viliora ſibi, ac humiliora addicebat, ſolicitus ne quid cuiquam deeſſet, omnem ſui cogitationem abjiciebat præter acerbam pœnitentiam, cujus ſpiritu rapiebatur, et niſi ei comes datus fuiſſet vir Cl. Joannes Bapt. Sanchez, cujus alibi meminimus, ea et pœnitentiæ ejus moderator, facile fieri poterat, ut vires corporis penitus extingueret. Namque præter crebras, longaſque verberationes, quas neque iter agens prætermittebat, cum longiſſimi, difficillimique itineris labor ſatis earum moleſtias ſupplere poſſet, tot ciliciis armatus incedebat, ut vix eſſet pars ulla corporis, quæ ſuo tormento careret. Ad hos cruciatus perferendos corroborabatur mortis acerbiſſimæ aſſidua meditatione, quam Salvator noſter ſibi elegit, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ dolorum, cujus imaginem habebat ſemper ante oculos. Nec in ſe adeo ſeverus cum eſſet; regebat eadem lege ſubditos ſibi Socios, licet regularum exactiſſimam cuſtodiam in omnibus et vellet, et omni ratione procuraret. Utebatur prudentia illa, quam charitas docet, ſuadetque; at quidquid obtinere patiendo poterat, aliunde non requirebat, ut de ejus ra-

ratione regendi queri nemo potuerit, qui prius omnem religiosæ perfectionis sequendæ voluntatem non abjeciſſet.

Defunctus totius Provinciæ adminiſtratione regebat eodem ſpiritu Collegium maximum Limanum, cum ſociis omnibus indicta lex eſt exilii; in qua inopinata, et maxima rerum omnium perturbatione numquam exiſtimavit Antonius ſolutum ſe officio aliorum invigilandi ſpiritualibus commodis, quantum temporum circunſtantiæ paterentur; cum neque regia lex viros illos religioſis ſolvere vinculis poſſet, neque Rex Carolus pro ſua religione vellet, ut religioſus vir pro ſuo quiſque ingenio regeretur. Id ſi probe omnes ad unum Socii intellexiſſent, et rebus ſuis quiſque conſuluiſſet melius, et novam, multoque graviorem exercendæ patientiæ occaſionem Antonio aliquis non exhibuiſſet, qui in illa rerum perturbatione ſacra ab profanis, Regi fideliter præſtanda ab Deo debitis non recte diſtinguebat. Ille vero qui hominum opiniones virtuti, honeſtati, divinæ voluntati parum conſentaneas nullo habere loco adſueverat, exequendi officii ſui dumtaxat ſolicitus, ſuſtinuit aberrantis cujuſdam mentis aggreſiones iniquas tam invicta patientia, ut unius ecfrons temeritas effecerit, ut reliqui omnes ſibi perſuaderent hanc Antonii virtutem ad plenam magnitudinem perveniſſe: ſummiſque laudibus proſcquerentur virum, qui iniquiſſimis criminationibus,

con-

conviciisque appetitus, nec verbo, nec nutu, nec ullo ſigno animi ullam perturbationem oſtenderit.

Hinc facile conjici poteſt quam imperturbata, invictaque mente communes reliquis ſociis tribulationes terra, marique ſuſtinuerit, in quibus ſi quid erat quod minuere moleſtias, ac incommoda poſſet, id perlibenter indulgebat ceteris, ſibi adſcribens quæ incommoda magis, ac permoleſta eſſent. Id erat ei doloris maximi videre ſocios alios ætate graves, alios infirmitate, ac ægritudine graviores viæ commiſſos aſperæ, ac perdifficili quin opem ferre illis neceſſariam poſſet, nec quo confugeret haberet præter Divinam Providentiam, cui ſe, ſuoſque aſſiduo commendabat. Hiſce laboribus tandem ſuperatis Ferrariam venit medio autumno, omnemque operam contulit, ut qui ejus curæ commiſſi erant ſcholaſtici privata in domo cogerentur omnes, et religionis non minus, quam ſtudiorum ſuorum exercitationibus navarent operam diligenter. Quantæ iſtud negotium patientiæ fuerit, perturbatis rebus omnibus, nec facile dixerim, nec mente quidem concipi facile poteſt: cum vero eſſet nihil, quod ejus patientiæ inſuperabile objiceretur, id aſſiduitate, comique agendi ratione obtinuit, quod vix ſperari potuiſſet, ac patientiſſimæ charitatis ſuæ fructus cæpit uberrimos.

Ut vero omnis Antonii virtus multo copioſius perficeretur, exercendus ipſe novis doloribus, corpo-

porisque infirmitatibus fuit. Dum domesticam solitudinem, recessumque suum maximo studio colit, procul ab omnibus, quæ reficere corporis vigorem, vel conservare potuissent, corripitur apoplexia, ab qua ad ultimum vitæ terminum redactus est. morbi deinde violentia aliquantum relevatus, vitam ducebat inter dolores, laboresque assiduos, quos adeo avido ore hauriebat, ut alienam omnem operam respueret in his, quæ exequi ipse maxima licet difficultate, et longo sudore posset, dolens quod suis incommodis aliena quies perturbaretur. Hæc inter erat ei solatio posse aliquando ad Aras facere, quamvis via e domo ad templum usque agenda longi laboris esset, cum alterum e pedibus prope mortuum traheret potius, quam eodem sustineretur. Cum vero venenata vis morbi novas vires adquisiisset, quartum post annum vitæ tot laboribus patientissime ductæ, nova vi aggressus est Antonius, adeo violenter, ut septimam post horam fato functus sit pridie Kal. Oct. MDCCLXXVI. et ad S. Gregorii tumulatus pauperis Sacerdotis ritu, ne mortuus ab ea virtute desertus videretur, quam tanto studio vivens coluerat, ut cum abundare facile posset, hujusce virtutis venustatem terrenis omnibus constanter prætulerit. Cujus virtutis spiritu ad eam etiam animi demissionem pervenerat, ut haberi minus doctus, tardus ingenio, cum et apprime esset litteris excultus, et mentis acumine valeret plurimum, adeo

non

non recuſaret, ut iſtud ſilentio, verbis, agendi etiam ratione ſtuderet; nec quanta polleret virtute quiſquam intelligeret, niſi qui diu illius conſuetudine uſus fuiſſet.

EMMANUEL QUIROS

QUantum divini roboris, atque alacritatis conferat Deus iis, qui vocantem Eum secuti, omni ſtudio arreptam vitæ rationem coluerunt, manifeſte oſtenſum eſt in Emmanuele, qui obnitente licet contra virium infirmitate, ordinis ſui miniſteria omnia tanta eſt ſtrenuitate proſecutus, ut ceteris temporalibus coadjutoribus veluti exemplum abſolutiſſimum exhiberi jure poſſit, religioſiſque viris omnibus documentum fuerit, ut omnes intelligant, omnia ſibi poſſe ab divina largitate polliceri, qui eidem fideliter, ſtrenueque famulentur. Natus eſt Emmanuel 10. Oct. 1713. Granatæ celeberrimæ Hiſpaniarum urbe, ac cognominis regni metropoli; cumque adoleſcens divino beneficio cognoviſſet quantis in periculis æternæ ſalutis amittendæ verſarentur,

tur, qui inter fæculares terrenis curis implicabantur, ea declinare ſtatuit, blandientibus, fluxiſque voluptatibus religioſæ vitæ moleſtias, acerbitateſque omnes præferre Salvatorem propius ſecuturus. Hoc arrepto conſilio, internis ſtimulis impulsus eſt ut inter Societatis Jesu coadjutores temporales adſcribi poſtularet; cumque Præſidibus vota aperuiſſet ſua, et nihil eſſet quod ejus deberet deſideria retardare, imo plurimis nominibus commendaretur, quod optabat facile eſt consecutus, mittendus ad regiones tranſmarinas quæcumque navigandi occaſio prima ſese obtuliſſet.

Dum hanc præſtolatur Hiſpalim contulit ſese primis religiosæ vitæ elementis erudiendus in eo Tyrocinio, cum ætatis annum expleſſet vigeſimum ſecundum; ac sequenti anno 1736. Peruvianis Sociis adſcriptus, tyro ſolvit ab hiſpanienſibus oris quibus ſummo ſtudio, poſtremum ut ipſe exiſtimabat, valedixit. Navigatio cum laborioſior, ac ſolito fuiſſet diuturnior amplum ei campum exhibuit, in quo præcipuæ ejus virtutes oſtenderentur, atque agendi ratio religioſiſſimo exemplo eſſet iis, qui in eadem navi erant, viatoribus, nautis, tyronibus ipſis, ac Sacerdotibus etiam reliquis. Namque manifeſte patebat omnibus modeſtia, ſilentium, animi demiſſio, pietas, ac religio, infracta conſtantia, atque imperturbata oris tranquillitas, quibus et privata curabat, et ceteris opem quam poterat omnem con-

conferebat. Hiſce religioſis officiis terra, marique functus, votiſque Deo nuncupatis, ad perfectionem propriam conſequendam acrius impulſus cum Limam appuliſſet; addictus eſt S. Jacobi Collegio, in quo Neo-Myſtæ tertio probabantur, quodque Tyrocinii obſervantiſſimi ſpeciem referens, erat Emmanueli in deliciis, cum temporalibus oneribus exerceri domeſticis in ſolitudine illa abunde poſſet, et vacare nihilo ſegnius ſpiritualibus exercitationibus, in quas alacriter conferebat quantum otii nanciſcebatur.

Utraque exercitatio erat integrum Emmanuelis negotium, cum ſtatus ſui conditionem perfectiſſimam in utraque eſſe poſitam ſibi pleniſſime perſuaſiſſet. Itaque neque orandi ſtudio quidquam ſubeundis externis laboribus detrahebat, neque hiſce ita diſtrahebatur, ut ſpiritualium cura aliqua vel minima parte relaxaretur, ex quo fiebat id, quod neceſſe erat, ut utrique officio uberrime faceret ſatis et ab ſpiritus fervore ſuſciperet vires, quas corporis infirmitas ſufficere non potuiſſet. Utebatur ſiquidem vigenti in ætate ægra valetudine, tantiſque incommodis vexabatur gracile corpus, ut qui minus ferventi ſpiritu ageretur, gravibus domeſticis curis onerari non ſuſtinuiſſet. Ipſe vero non modo non detrectabat ſua, ſed alienis etiam oneribus aggravari alacriter patiebatur. Promptiſſimæ obedientiæ vir pendebat totus ab ſuperiorum nutibus, et

quæ-

quæcumque juberetur perficiebat conſtanter, quin unquam vel fractas laboribus vires, vel corporis infirmitates, vel alienum tempus obtenderet. Corpopore ſiquidem ad plenam ſervitutem redacto utebatur veluti inſtrumento ad ſtatus ſui officia, illius eam dumtaxat curam gerens, quam ſciebat eſſe divinæ voluntati conformem.

Inde ab iis, quibus collegiorum adminiſtratio commiſſa erat, expetebatur Emmanuelis opera, ægre eo privabantur, qui ejus fruebantur contubernio; illum ut alii obtinerent crebræ ad ſummum Provinciæ Præſidem obſecrationes mittebantur. Nec res erat ſine admiratione prætereunda, tam ſolicite quæri, qui ægro inveteratis morbis corpore utebatur. Tanto ſcilicet habenda erat pretio animi eximia promptitudo atque alacritas exequendis quibuscumque imperatis. Hæc multo apparuit manifeſtius, cum Moquegua Potoſium eſt miſſus, qua in urbe potiorem vitæ partem duxit. Oppidum eſt aurifodinarum ubertate toto orbe celebratiſſimum, tantæ vero elationis, ut inter ceteras vaſtiſſimi illius regni regiones perfrigidum habeatur. Frigore nihil erat ægræ ejus valetudini magis adverſum, cum aſſidua tuſſi vexaretur, cujus cauſa, ſpiritus ſcilicet difficultas, jam tum apparebat. Accedebant capitis crebri, acutiſſimique dolores: ipſe vero deſpectis tot adversariis imperata executus eſt ſtrenue, atque eo in oppido tanta contentione laboravit æger, quantam vi-

gen-

gentibus viribus ſuſtinere vix potuiſſet .

Domeſticarum curarum pars potior , graviorque ei erat commiſſa, hanc gerebat incredibili alacritate, ea deinde comitate, atque affabilitate, quam et domeſtici, et externi ſummis laudibus proſequebantur. Cum diurna opera feſſum corpus nocturna quiete curaret, excitabatur crebro ut Socium Sacerdotem deduceret , qui excipiendis morientium confeſſionibus deſtinabatur. Nihil ille diurnas graves operas, nihil decidentes imbres uberrimos , nihil copioſas nives , frigoriſque rigores cauſatus , aderat promptiſſimus vocanti, duxiſſetque ſibi religioni vel breviſſimas induxiſſe moras in eo negotio, in quo æterna proximus ſalute poſſet periclitari. Quæ cum intuerentur Socii, planeque cognoſcerent, quanti ea eſſent Emmanueli laboris , doloriſque, non poterant non vehementer admirari invictam ejus conſtantiam, quam nec querulum verbum ; nec moleſtiæ ſignificatio ulla inficeret.

Nec ferebat minus patienter ſi quis adverſus eum inſurgeret, et falſa ſuſpicione inductus innocentem criminaretur ; quamvis enim aliquando falſo inſimularetur pro ea qua valebat apud ſuperiores exiſtimatione, cauſam ſe fuiſſe cur aliquis e domeſticis moleſtia quadam afficeretur , eamque criminationem vir quietis, paciſque ſtudioſiſſimus non poſſet non ferre moleſtiſſime , ſuſtinebat nihilominus hilari vultu, nec ab ſe repellebat, quoties reſpon-

ſo

ſo ſuo extingui penitus excitatum in alio ignem non ſperabat: tacebat proinde, vel aliquando ſimplici ſese negatione expediebat, parcens ceteris, ne ullus eſſet contentionibus locus, ab quibus ſummopere abhorrebat. Nec erat minus patiens in exigendis vectigalibus ab iis, qui eſſent in penſitando moroſi; horum difficultates ſuſtinebat, ſibi ante oculos exhibens manſuetudinem, modumque, quibus in hiſce rebus, etiam juſtiſſimis exigendis religioſos viros uti neceſſe eſt, ut et domeſtica jura tueantur, et nulla detur profanis perſonis offenſionis umbra, ſi avidius exigi videantur. Hæc agendi ratio ab domeſticis, externiſque mirifice probabatur, cum res familiaris nullam jacturam, exteri vexationem nullam paterentur. Plurium Collegiorum vectigalia cum hac ratione procuraſſet Emmanuel, atque eorum nonnulla graviſſimo ære alieno liberaſſet, indicta Sociis omnibus eſt Regia exilii lex.

Hæſit ad inopinatum caſum, tantamque rerum viciſſitudinem Emmanuel, cui ſuſtinendi imminentes, et qui exilium ſequebantur labores turmatim ante oculos objiciebantur. At cum adſueviſſet humana omnia intueri velut a Deo immiſſa, ut mens noſtra, ac ſpiritus ab terrenis diſtractus ad cæleſtia facilius rapiatur, pleniſſime in divina voluntate adquievit, paratus ſubire acerbiſſima quæque, nec ullam fructus partem amittere, quem tanta rerum poſſet perturbatio afferre ſubjicienti ſe penitus divi-

næ Providentiæ. Hac mente cum navim conſcendiſſet, in qua ad hiſpanienſes oras revehendus erat mediis in anguſtiis, ac tribulationibus, quibus abundare diuturna navigatio ſolet, et quas exilii conditio reddebat graviores, acerbioreſque, erat ei maximi ſolatii ingeminare crebro: *Fiat voluntas tua, Domine, ſuper nos: Deo gratias agamus, qui tali nos tribulatione experitur, proh quantum nos manet ab patienter ſuſtinendo præmium.* Hiſce animum cogitationibus recreans, atque reficiens ad littora Gaditana appulit, relictiſque pluribus virtutum exemplis privata in domo, in qua ab longa navigatione conquieverat; in Italiam navigavit, Corſicam inſulam attigit, et poſtremo Ferrariam venire juſſus eſt.

Hanc urbem cum itinerum, ac navigationum ſuarum terminum exiſtimaſſet, vitæ tranquille ducendæ judicavit aptiſſimam, qua ad æternæ patriæ amorem ardentius accenderetur, et uberius pararet ſese ad vitæ exitum, quem inveterati morbi, exantlati labores, corporis infirmitas admonebant haud eſſe longinquum. Exultabat in tribulationibus inſolitis, quas domeſticæ anguſtiæ, alienum cœlum, diverſus linguæ ſonus, rerum omnium mira mutatio, ac inopia ſecum ferebant, et quamvis ægrum corpus, et anhelans difficile traheret, non partem dumtaxat domeſticarum curarum, ſed omnes etiam ſibi depoſcebat. Namque cum videret domus præ-

ſidem

fidem vehementer angi, nec ſcientem quo ſe verteret deſtitutum coadjutoribus, qui res curarent, alacris afflictum erexit, exhibens ſese omnibus, et certo affirmans vires ſuas miniſteriis omnibus futuras ſatis, ſtetitque promiſſis ea alacritate, qua numquam deſtituebatur.

In hiſce inſudavit ſtrenue quo tempore ſubeſſe aliis religionis vinculis cogebatur; neque hiſce ſolutus ab ſolita vivendi ratione quidquam receſſit, ſi cultum corporis excipias demiſſum, modeſtiſſimumque. Eadem ſociis ſuis conſtanter exhibuit miniſteria; ſecutus eſt ſpiritualia exercitia eadem conſtantia, aſſiduitate etiam fortaſſe eo majori, quo adventare propius reſolutionis ſuæ diem ſentiebat: torquebat acrius corpus ſuum ferreis ciliciis, cruentiſque verberationibus, a quibus ſolo confeſſarii ſui imperio ardorem cohibebat. At cum proceſſiſſet jam annus 1776. cæpit vehementiori ſpiritus difficultate torqueri, et viribus corporis prope deſtitui; quibus in angoribus, ac infirmitate plurimis miræ patientiæ exemplis emicuit. Ineunte vero menſe novembri cum acrius torqueretur, et inſtantem mortem videret, ferventiſſimis religionis affectibus, munitus eſt Eccleſiæ Sacramentis, quibus corroboratus, inter ardentiſſima colloquia quibus Beatiſſimæ Virginis, Caſtiſſimique Sponſi (quem præcipuo cultu totius vitæ curriculo fuerat proſecutus), interceſſionem potentiſſimam implorabat, placidiſſima morte

in Domino obdormivit 6. Novembris, ac ſequenti die terræ mandatus ad S. Pauli, ætatis anno 63. diebus 26.

R. D. ANTONIUS SESTIERIUS.

MOqueguæ, quod oppidum eſt Arequipenſis Diæceſis frequentiſſimum, natus eſt Antonius 21. Sep. 1714. parentibus honeſtate morum clariſſimis, qui cum in eo puero præter ingenii acumen animadverterent ſanguinem quacumque levi adverſa aura inflammabilem; omnem operam diligentiſſime contulerunt, ut puer adſueſceret impetus iræ compeſcere, inordinatoſque animi motus ita cohibere, ut indolis, quæ rite exculta plurimorum bonorum eſſe principium poterat, promptitudine ad honeſta dumtaxat aggredienda, atque exequenda uteretur. Hujus tanto ſatagebant diligentius, quanto ardentius optabant, exiſtimabantque oportere, cum in eo familiæ ſpes omnes, et fortunarum collocaſſent ſuarum, et ſenectutis ſolatium certum ſperarent futurum. Ad hæc vero cum pervenire non poſſet niſi latinis lit-

litteris uberrime viaticatus, miſſus eſt ad ſcholas Societatis Jesu, ut latinæ linguæ elementa capeſſeret, erudiretur vero diligenter morum præceptis, quibus ſine, nullo ipſi loco habebant quamcumque nanciſceretur doctrinam. Dabat operam litteris Antonius, in quibus quanto progrediebatur glorioſius, tanto ardentius inflammabatur ſtudio valedicendi rebus terrenis, et eorum inſtitutum amplectendi, quorum curis, atque induſtria litterarum, honeſtatiſque præceptis informabatur. Senſit hiſce deſideriis animum commoveri cum eſſet ætate admodum tenera: tenuit igitur vota ſua quin alteri aperiret. Cum vero Rhetoricis regulis excoleretur, ac quintum decimum ætatis annum attigiſſet, libertatis ſuæ plane conſcius, quod optabat, exposuit et Societatis præſidibus, ut ab iis reciperetur; et parentibus, ut ſe libertate uti ſua perbenigne paterentur. Hi cum poteſtatem ei feciſſent pleniſſimam eam regulam profitendi, quæ ipſis erat præcipuæ dilectionis, et cultus; aditum omnem aperuerunt, ut tyronum in numerum citiſſime adſcriberetur.

Veſtem induit tyronis 26. Julii 1729. nondum exacto decimo quinto ætatis anno in Limano tyrocinio, ac inde cæpit vehementius adverſus igneſcentem facile ſanguinem pugnare, tantaque id contentione præſtabat, ut eſſet ceteris exemplo in debellando aſſiduo, ac inteſtino hoſte conatus, atque conſtantia. Ab quo ſi aliquando improviso depre-

henſus dejiciebatur, erat ei paſſæ jacturæ pudor duplici beneficio; namque in animi demiſſione corroborabatur uberius, et ſuſceptæ cladis memoria reddebat eum ad pugnam alacriorem, paratioremque: Armabat animum meditationibus, in quibus immotus perſtabat, et inflammabatur intuentium omnium admiratione: obibat cetera ſpiritualia exercitia tanta aſſiduitate, ac ſolertia, ut utriuſque exemplar eſſet ceteris: regularum etiam minimarum cautiſſimam cuſtodiam omnis ejus vivendi ratio oſtendebat, quibus omnibus ita inter tyrones Socios emicabat, ut ejus exemplo reliqui ad optimam frugem plurimum excitarentur.

Neque ab hac religiosa in comparandis, excolendiſque virtutibus ſolicitudine quidquam remiſit, poſtquam confecto tyrocinii biennio, votiſque religioſis arctius Deo adſtrictus humaniores litteras recolere, Philoſophicis, Theologiciſque ſtudiis navare operam eſt juſſus. Namque cum intellexiſſet quam facile ab hiſce ſpiritualibus curis diſtrahi mens poterat adquirendarum ſcientiarum ſtudio, hiſce vero illas eſſe longe, lateque præferendas; ita ſcientiarum comparationem arripuit, ut tempus iis dandum religioſe exſolveret, ab omni earum cura, ac cogitatione etiam liberari ſatageret, quo tempore vacare ſpiritualibus deberet. Itaque ab ſtudiorum ſociis, atque comitibus eo loco ejus religio, ac pietas in Deum habebatur, ut quoties in familiaribus

col-

colloquiis igneſcentem ejus vultum, eumque veluti extra ſe raptum intueri vellent, ſatis eſſet, ſi quiſquam eorum ingeſſiſſet: *Oh quam amabilem Deus ſese nobis exhibet!* vel quam ſimilem exclamationem: qua ſola recordatione effundebatur Antonius in affectus tenerrimos, quandoque etiam vehementiſſimos, quibus ardentiſſimus ſpiritus dilatari, temperarique quærebat. Cum litteras, ac ſcientias tanto propriæ perfectionis ſtudio coluiſſet, primos in illis adeptus eſt honores, eaque retulit ab ſolertia ſua præmia, quæ conferri non ſolent niſi optimis.

Tertio probatus de more; juſſus eſt miniſtri, ſive Tyronum Magiſtri adjutoris partes ſuſtinere; hocce vero miniſterio nihil præcipi ei poterat magis gratum, nihil etiam tyronibus accommodatum magis. Namque licet munus eſſet aſſiduis moleſtiis ſeptum, cum Tyrones ſoleant leviſſimis in rebus hærere ancipites, nec expedire ſese ſciant, aut audeant in obviis etiam, et quandoque manifeſtis, eo, qui ipſis præeſt, inaudito, inconſultove, negotium faceſſunt maximum cuicumque gravem rem ſerio tractanti, quam centies abrumpere neceſſe eſt: tamen magno ipſe habebat loco crebras occaſiones ſubigendi igneam naturam, ab qua triumphata uberem ſibi mercedem pollicebatur. Tyrones autem, habebant aſſidue ante oculos religioſe ducendæ vitæ exemplar, quo ad perfectiſſimam regularum om-

nium cuſtodiam excitarentur, ac in obeundis ſpiritualibus exercitationibus alacriores fierent, diligentioresque. Cum enim eſſet Antonius vigilantiſſimæ obſervantiæ, quam rigidus quicumque cenſor facile præteriret, obibat acuratiſſime ſpiritualia omnia exercitia tyronibus communia, factis magis quam verbis eos admonens ſolicitudinis in iisdem adhibendæ, docenſque qua conſtantia, quanto mentis conatu, qua ſenſuum applicatione ea eſſent pertractanda. Perſtabat ſiquidem eos inter genuflexus, immotus, ut ex corporis habitudine facile appareret quanta fide præſentem Dominum intuebatur, cujus vel attributa meditabatur, vel depoſcebat opem, ut in Ejuſdem famulatu conſtanter perseveraret, vel novas in dies aſcenſiones conſequeretur. Meditandi ſtudium par ſequebatur conatus in cohibendis internis motibus, par torquendi corporis exercitatio ſive ferreis ciliciis, ſive cruentis verberationibus, quibus carnem acerbiſſime coercebat, ut ſpiritui famularetur.

Hac aliquot annos Tyronibus præſtita magna cum laude opera, juſſus eſt Antonius noſtris, externisque adoleſcentibus tradere Philoſophiam Limæ in Collegio maximo. Solum obediendi ſtudium, quod rebus omnibus, cogitationibus etiam ſuis ipſe præferebat, efficere poterat, ut alacriter abſtraheretur ab munere, in quo tanta voluptate inſudabat, illudque ſuſciperet, quod, cum quidquam

præ-

præseferret apud exteros honoris, commendationisque terrenæ, erat ei idcirco non levis molestiæ, cum honores refugeret omnes, et privatam, absconditamque vitam cuicumque nominis, atque ingenii celebritati præponeret. Morem gessit præsidibus imperantibus alacriter, curasque omnes eo convertit, ut sibi crediti alumni philosophicis institutionibus uberrime quidem erudirentur, multo vero copiosius honestatis, virtutumque omnium amore inflammarentur. Arripiebat proinde avide occasiones omnes, ut adolescentes criminum turpitudinem abunde admoniti, ea, eorumque pericula omnia declinarent, caperentur virtutum amore, quas pone sequebatur et maxima, quam præsens vita optare sibi potest felicitas, et spes certa futuræ, immutabilisque beatitatis aleret, ac tueretur. Hæc tanta constantia eorum animis ingerebat, ut confecto docendi triennio, alumnos dederit doctrina, atque honestate præstantissimos.

Docendi munere maxima cum sui laude, atque alieno commodo functus esset diutius, nisi in eas corporis ægritudines, viriumque infirmitatem incidisset, quæ tantum sustinere oneris minime poterat. Ducebat vitam afflictus, idque præcipue dolens, quod ceteris molestiæ cum esset, laborisque, nulla ipse alimenta mereretur. Itaque cum domestica vectigalia curare jussus esset, novum ministerium tanta jucunditate suscepit, ut pro eo beneficio præsi-

des

des ſuos ſit ampliſſimis gratiarum actionibus proſecutus; geſſit vero miniſterium tanta ſolicitudine, quantam polliceri ſibi vix potuiſſent, qui eum tali muneri præfecerant. Neque idcirco invigilabat minus attente religiosæ perfectioni conſequendæ, cui primas, præcipuaſque partes deberi ſciebat. Verſabatur in ampla domo iis excipiendis parata, qui quadrageſimali jejunio piis meditationibus, diſcutiendiſque ſpiritus negotiis in ſilentio ſolitudinis dare operam vellent; vel ſingulis menſibus eiſdem ſacris exercitationibus diem tribuebant. Hoſce omnes dies maximi faciebat ipſe, nec minoris ducebant quotquot in eadem domo conveniebant Antonii conſuetudinem, ac contubernium. Namque quantum procurationis ſuæ ratio patiebatur, orabat cum omnibus in privato ſacello, poſtremam certo diei horam cum iiſdem ducebat quotidie coram Ven. Euchariſtiæ Sacramento genuflexus, tanta modeſtia, tamque in meditatione defixus, ut una eſſet omnium vox, ſatis eſſe eum orantem intueri, ut quiſque orandi ſtudio accenderetur.

Ex hanc meditandi conſtantia prodibant virtutes illæ, quibus tantopere omnium oculis emicabat: eximius ſcilicet paupertatis amor, quo ſive in victu, ſive in cultu corporis quæ neceſſaria erant cum quæreret, eadem infima optabat, et amplectabatur. Potuiſſet more aliorum, qui eum præceſſerant, non ſane vituperabili, prandium ſibi parare domi prolibi-

libito; maluit vero illud ab collegio accipere, quale ſociis reliquis miniſtrabatur, miſſo ad hoc ſtatutis horis ſervo, qui deferret, idque capiebat ſive frigidum, ſive calidum ab eodem ſervo exhiberetur. Tritis veſtibus externis, internis miſerrimis etiam utebatur: quid enim penſi eſſet internus cultus viro, cui ferreis ciliciis armare corpus mos ſuit ab adoleſcentia. Paucis omnia verbis complectemur, ſi dixerimus, ea adminiſtratione ita uſum fuiſſe Antonium, ut vitam duceret pauperiorem; coleret vero multo facilius animi demiſſionem, quam magni fecerat ſemper, tutioremque multo ipſe exiſtimabat in eo miniſterio, in quo acuminis ingenii parva; doctrinæ vero apparere laus nulla poterat. Utque ab aliis haberetur, qualem ipſe ſese exiſtimabat, litterarum rudis, fugiebat doctas confabulationes, vel cum hoc non poſſet, erumpebat in interrogationes circa res, quas neſcire non poterat, cum philoſophiam tanta doctrinæ laude tradidiſſet. Cum Truxillenſis collegii præpoſitus fuiſſet renuntiatus; rei novitate perculſus eſt, et ſalvis licet religioſiſſimæ obedientiæ legibus, tanta de inutilitate, atque incapacitate ſua immediatis præſidibus expoſuit ad honorem illum declinandum, ut ii enixis ejus precibus annuendum cenſuerint. Hoc eadem ratione uſus eſt quoties ad munus aliquod deſignabatur, quod apud noſtrates, exteroſque quidquam præseferret gloriæ, ac dignitatis.

Neque idcirco minus colebat diligenter obedientiam, in qua pleniſſime adquieſcebat. Ad præſidum ſuorum non vocem modo, ſed nutus etiam amplecti, ac exequi quæcumque ſolitus, effecerat, ut qui ejus mores religioſiſſimos diutius, attentiuſque animadverterant, caverent diligenter eo præſente ab ſignificanda ſententia, voluntateve ſua quacumque in re agenda, cum certi eſſent Antonium cito adfuturum, ſe paratiſſimum exhibiturum ad ea, quæ ipſi ſignificaſſent. Cum vero et obedientiæ, et demiſſionis ſimul capere fructus poterat, utriuſque virtutis amor alacriorem eum, promptioremque reddebat. Cui promptitudini oberant nihil quæ ab eo exponebantur, cum juberetur ſuſtinere ſplendida miniſteria, et quæ ad ejus poſſent commendationem redundare; namque hæc cum plerumque præmii rationem referre ſoleant, ab quo ipſe ſibi videbatur valde alienus, qui inutilis, imperitus eſſet; iniquum exiſtimabat præripere, quæ alteri jure deferrentur, idque ut præſidibus innoteſceret, laborabat ſimplici miſeræ ſuæ conditionis expoſitione; morem ceteroquin geſturus ſuperioribus, quidquid iſti ejus indignitatis conſcii decernerent. Angelicam virtutem tuebatur non orandi ſolum ſtudium, ſed præter acerbos corporis cruciatus vigilantiſſima cautio, et ſenſuum aſſidua cuſtodia: omni aditu in domum interdixerat feminas quocumque obtentu, quas audiebat numquam, quin prius arctius ciliciis corpus adſtrin-

ſtrinxiſſet, quorum aculeis aſſiduo admoneretur officii.

Ab hocce ardentiſſimo propriæ perfectionis ſtudio nihil remiſit inter itinerum, navigationumque turbas, quæ Regiam exilii legem ſunt conſecutæ, aut cum exul Ferrariam veniſſet; imo domeſticis curis ſolutum tempus ad æternæ ſalutis ſuæ procurationem diuturniorem, acuratioremque tranſtulit. Quamvis enim nullis rei familiaris anguſtiis premeretur, vitæ rationem inſtituerat pauperrimam, quam nihilominus ſibi laxiorem exiſtimans, ut reſtringeret magis, fatigabat crebris conſultationibus confeſſarium ſuum. Ita ſecum parcus large effundebatur in pauperes quos privatim publiceque uberrimis eleemoſynis proſequebatur, eratque iis adeo notus, ut e cathedrali templo, in quo diu orabat, prodiens, ſtatim pauperibus ſtiparetur, quandoque ita frequentibus, ut progredi difficile poſſet: aliis honeſto loco natis, ſed in inopiam lapſis ferebat opem, quin ipſi poſtulandi ruborem paterentur. Noſtris aderat fraterna charitate, eis præcipue quos diuturna ægritudine vexatos exiſtimabat facile poſſe rerum inopia laborare, ut ad priſtinam valetudinem redirent.

Hiſce præcipuarum virtutum exercitationibus excolebat mentem ab terrenis diſtractam, et ut divino obtutui animum redderet gratiorem, erat aſſiduus in oratione, ac meditatione coram V. Euchariſtiæ

riſtiæ Sacramento, in qua exardeſcebat. Implorabat B. V. patrocinium, quod certum ſibi pollicebatur ab Matre ſibi chariſſima, quam integro precatorio Roſario, crebris deinde precibus, plurimis corporis vexationibus, in Ejuſdem præcipue pervigiliis colebat. Nec prætermittebat præter Angelorum Principes, Societatis Jesu Beatos, præcipue vero Parentem Ignatium ſumma religione colere, ut pro eo intercederent, et felicem vitæ exitum ſibi impetrarent. Inſtare hunc ſibi ſenſit cum gravi, diuturnoque morbo correptus eſt, quo tempore ad cœleſtia contendere cæpit multo ardentius, donec fractis corporis viribus, ac prope extinctis, Eccleſiæ Sacramentis rite, ardentique ſpiritu munitus eſt. Quibus corroboratus, haud multo poſt dulciſſima morte functus eſt 26. Aug. 1782. atque in Omnium Sanctorum templo tumulatus, relictis nobis plurimarum virtutum exemplis, pauperibus vero maximo ſui deſiderio.

R.

R. D. JOSEPH CORSOS

QUam facili, dulcique nexu, quantoque aliorum commodo eximia virtus cum hilaritate, ac jucunditate copuletur, oſtendit ab adoleſcentia ad ſenilem uſque ætatem Joſeph natus Sanabriopoli, qui pagus eſt in Aſturicenſi Principatu, 9. Januarii 1708. Namque cum pueritiam tranſegiſſet, et adoleſcens latinæ linguæ præceptis abunde eſſet inſtructus, omnium ſibi amorem conciliabat indole mirum in modum amabili, qua benemereri de omnibus ſtudebat; tanta vero humilitate, patientia, ſui, terrenarumque rerum contemptu, ut harum nec comparatione lætaretur, neque contriſtaretur jactura. Pollebat deinde animi robore ad difficillima quæque promptiſſimo, et quas mentis acceperat divino beneficio vires, eas conferre omnes ad propriam, proximorumque ſalutem optabat ardentiſſime. Ratus id ſe facile conſequi poſſe ſi Societati Jesu nomen dediſſet, id inceſſanter poſtulavit, tranſmarinis miſſionibus deſtinari efflagitans. Voti compos, et Peruvianæ Provinciæ adſcriptus, tyrocinium aggre-

greſſus eſt, quo tempore ad plurima, quæ a Deo acceperat dona ejusdem beneficio adjunxit animum nullis laboribus ceſſurum, et conſtans propoſitum inferendi tenebrarum poteſtatibus implacabile bellum omni loco, et tempore.

Hoc firmiſſimo conſilio cum confeciſſet jam Tyrocinium, et Scolaſticorum ſtudiorum curriculi prope metam attigiſſet; navigavit in Americam, utque proluderet ad ea prælia, quæ in illis regionibus ſuſtinenda eſſent, cæpit navigationis tempore in hac gerendi belli arte exerceri. Uſus eſt indolis optimæ, hilaris, comisque dotibus, ut nautarum animos ſibi devinciret; devinctos cum teneret facile induxit, ut quotquot poſſent ſe familiariter adloquentem audirent. Hiſce familiaribus colloquiis captabat eorum attentionem dulcibus narrationibus, eaque egregie utebatur, ut timorem, amoremque Domini, ſummum peccati odium alto in corde conciperent. Inde ad noxarum expiationem, ad novam ducendæ vitæ rationem, ad procurandæ æternæ ſalutis ſolicitudinem maximam trahebantur. Quem promovendæ proximorum religionis ardorem cum is animadverteret, qui reliquis ſociis præerat, voluit ut Joſeph Sacerdos conſecraretur ut primam occaſionem nactus eſſet.

Limam cum appuliſſet, juſſus eſt quod reliquum erat ſcholaſticorum ſtudiorum conficere, quibus dum aſſiduam operam dabat, pleniſſima præceptorum

ſuo-

ſuorum commendatione, inſudabat non minus diligenter in aliis ſpiritualibus miniſteriis, excipiendis præcipue ad ſe confluentium confeſſionibus, quos invicta conſtantia audiebat. Hocce in miniſterio jam tum oſtendit quantus erat futurus, cum æquo animo, atque imperterrito ore exciperet et voces eorum, a quibus ejus agendi ratio commendabatur, et eorum exprobationes a quibus quandoque impetebatur, quin pro ſe umquam reſponderet, ſi solus ejus honos aggrederetur; namque ſi divinæ gloriæ proximorumque ſaluti iniquas aggreſſiones adverſari videbat, pro utraque tuenda, relicta omni ſui cura non dubitabat cuicumque ſe diſcrimini objicere.

Tertio probandus cum eſſet, ad collegium ad id deſtinatum demigravit. Erat in ea Probationis domo graviſſimus Vir P. Gineſius de Tevar, qui cum pluribus collegiis præfuiſſet, et vitam duceret omni virtutum exercitatione clariſſimam, prælucebat illis Neo Myſtis, ut tanti viri exemplo digniſſimi evaderent ſocietatis alumni. Hujus virtutes Venerabilis ſenis cum plurimum admiraretur Joſeph, non minus mirabilis ejus agendi ratio ſeni videbatur, cum in eo animadverteret modum ab omni ſingularitate valde alienum, feſtivos ſuo loco, et tempore jocos, facilitatem eximiam, qua omnia omnibus fiebat, ſingulorum ingenium, virtutes, exempla plurimum commendans, ſeque oſtendens, ac profitens omnibus valde inferiorem, intueretur deinde

in eodem ea ſigna ; ex quibus facile intelligebat , quanto ille inſtructus eſſet animi robore, quamque impavidus, cum de promovenda divina gloria, ſuſcipiendiſque adverſus ſpiritales nequitias præliis ageretur. Itaque dicere ſolebat, Joſeph aut inſignem eſſe hypocritam, aut ſanctum inſignem . Utrumque erat, cum inſignem, eximiamque virtutem ſub illa facili , ac jocoſa agendi ratione abſconderet .

Exacto tertiæ probationis tempore , miſſus eſt Ycam, qua in urbe ſurgebat recens collegium , et qui erant Sacerdotes tres omnino cum privatam domum incolerent; alieno in templo ſolitis Societatis miniſteriis navabant operam, coadjutor erudiendis pueris primis litterarum elementis inſudabat . Oppidum erat pro operariorum caritate incultum , pro otio , atque ignorantia vitia quæ inde conſequi ſolent diuturna, atque imperturbata dominatione ſæviebant; nec infrequens erat, aut inſolitum eorum ſpectaculum, quos improbus ſpiritus invaſerat , et miſerandum in modum vexabat. Nullus fortaſſe potuiſſet uberior campus ſpiritui Joſeph aperiri , qui tanto ardore in eos hones ferebatur . Utrosque corporis , ac ſpiritus hoſtes ab ſuis ſedibus deturbare , atque ejicere tanta contentione aggreſſus eſt , ut in ſuſcepto opere diu, noctuque inſudaret. Crebris ferventiſſimiſque ſermonibus , quibus peccati turpitudinem, quæque illud ſequuntur æterna ſupplicia ante omnium oculos objiciebat ; admonebat

vitæ

vitæ brevitatem, incertumque tempus, divina adſpirante gratia, ita peccatorum mentes percellebat, ut aſſidue circumſideretur ab iis, qui ſolvi criminum vinculis efflagitabant in bonam frugem venturi. Audiebat hoſce invicta conſtantia, inſtructoſque armis, quibus internas, externaſque aggreſſiones repellerent, alacres dimittebat.

Tot ab hoſte reportari triumphi non poterant non excitare adverſus eum odium, furoremque eorum, qui aliena iniquitate, atque jactura delectabantur. Inſurrexere ſcilicet adverſus Joſeph perfidi, ac nefarii homines, eum ut terreni lucri cupidum, publicæ pacis perturbatorem, domeſticæ quietis hoſtem criminabantur: hæc vulgi auribus ingeminabantur aſſidue, ut populus ab eo audiendo deterreretur. Quin et inventus eſt vir, quem dignitas, quam adeo ipse dedecorabat, honeſtiorem, cautioremque reddere debuiſſet, qui tanti ſceleris patrocinium ſuſcipere cum non erubeſceret, Joſeph in conclavi aggredi non dubitavit maledictis, criminationibus, contumeliis, quas niſi cæcus furor, quem impurus amor deluſus parere ſolet, numquam evomuiſſet. Nec alia ſane cauſa in illam amentiam eum impulerat; cum repulſam ab ea ſuſtinuiſſet, qua dudum turpiter, ac flagitiose abutebatur. Suſtinuit immutato ore Joſeph temerarium, ac furioſum aggreſſorem, cui, cum venenum totum evomuiſſet, mirari ſe repoſuit, virum in ea digni-

tate conſtitutum, in qua ceteris prælucere deberet honeſtate, ac promovendæ divinæ gloriæ ardore, cauſam ſuſcipere eorum, qui tam nefarie alienæ ſpirituali ſaluti ſese objiciebant. Hæc cum pro divina gloria ei ante oculos miro animi fervore expoſuiſſet, de illatis ſibi injuriis omnino conticuit. Qua moderatione tanta correptus eſt admiratione aggreſſor iniquus, ut attonitus receſſerit, et ſublata ceteris ſit ſpes omnis frangendi, infirmandive illius roboris.

Hic vero cum acceptæ divino beneficio poteſtatis in Dæmones donum otioſum non pateretur; ſummoque ſtudio adlaboraret, ut tam ſæva tyrannide liberarentur, qui ab crudelibus illis hoſtibus vexabantur; hoſce in ſe concitavit tanto furore, ut eorum alter ſit ei pollicitus ab eo persequendo numquam ſe deſtiturum, quas minas nullo loco habuit Joſeph, cum probe ſciret quouſque infernæ progredi vires poſſint, ſpeſque omnes ſuas in ſola divina protectione collocaſſet. Aggreſſus tamen eſt dolis ac fraudibus, quas numquam fortaſſe veritus fuiſſet. Namque cum paulo poſt Yca Arequipam migrare juſſus eſſet, et hac in urbe adversus infernos hoſtes more ſuo implacabile bellum gereret; accuſatus eſt apud collegii rectorem, eum noctu in conclavi ſuo fæminam excepiſſe. Hæc detulerat vir gravis, et auſtere religioſus, ſed qui ab tetricis humoribus, quibus abundabat, facile pertrahebatur;

eo

eo igitur abuſus eſt infernus hoſtis, et adſumptæ procaciſſimæ fæminæ forma, hunc illuſionibus perturbare, Joſeph turpiſſimi criminis invidia perſequi cæpit. Criminationis, et viri gravitas ſuperiorem quamvis minime credulum adegerunt, ut nulla interpoſita mora in Joſeph conclave improviso irrumperet aliud cauſans, ne accuſati innocentiam offenderet. Invenit Joſeph ſolitis ſuis ſpiritualibus exercitationibus vacantem; fæminæ ne umbram quidem, etſi attentis oculis conclave totum perluſtraſſet. Iſtud cum accuſatori retuliſſet, hicque in opinione ſua obſtinate perſiſteret; ex condicto uterque totum collegium perſcrutati ſunt diligentiſſime; quin aut fæminam, aut qua hæc ingredi, egredive potuiſſet, reperierint. Protrahebatur criminatio cum ſequentibus noctibus eodem pacto hoſtis tetrico illi viro illuderet. At ſuperior (erat hic, quem ſupra juſta commendatione proſequuti ſumus, P. Franciſcus de Ribera) ne diutius animo torqueretur, Joſeph adit, quanti criminis apud ſe reus factus ſit, declarat, poſtulat ut nodum ipſe exſolvat, ſi poſſit. Nihil turbatus Joſeph cum tanto crimine appetitam innocentiam ſuam videret, nunc primum, inquit, audio, quæ adverſus me deferuntur. Ecce in clauso collegio patent omnia; quæratur fæmina, quæ ingreſſa dicitur; cui ſane nullus patet exitus, et ſi ullibi reperiatur, nullam pœnam, quamvis graviſſimam, detrecto. Nec prop-

terea accuſatorem inſimulo, quem minime dubito optima mente ad delationem inductum ; cum pro certo habeam , hæc omnia excitata , Deo ſic permittente , ab nequiſſimo illo ſpiritu , qui dudum mihi crudelius quod poſſet bellum inferre minitatus eſt. Hæc cum verbis expoſuiſſet , quæ innocentiam illam undique præseferebant, quam Joſeph mores omnes oſtendebant , ſolicitudine omni Rectorem, eum omni criminatione liberarunt.

Aggreſſiones haſce invicto pectore ſuſtinentem , acriuſque decertantem, ut quos poſſet plurimos infernis hoſtibus eriperet nulla difficultate perterritus, conſolabatur Deus, ac corroborabat triumphis, quos haud facile ſperare potuiſſet . Illud eſt inter alia inſigne, quod præterire non poſſumus. Crebris adhortationibus e vitiorum cæno eduxerat ad honeſtiſſimam vivendi formam , et crebram Sacramentorum perceptionem virum, qui ei aperuit viſionem, qua maximo angebatur . Scis, inquit , domum N. ventitare me, ejuſque familiæ puellulas omnes eſſe mihi notiſſimas : cum harum ſingulas proprio ore, ac figura conſtanter intuear , dudum N. horridi draconis inſtar mihi ante oculos ſese objicit: quæ res et magni faſtidii, et timoris mihi eſt non exigui . Imaginationis id eſſe opus poſſe, retulit Joſeph, contemneret igitur visum , ac pro nihilo duceret; referret vero, ſi omni adhibita opera, ac diligentia corrigendæ imaginationi, idem ſibi cerne-

re

re videretur. Præſtitit ad unguem vir ille, et Joſeph, efflagitato divino lumine, inveſtigare cæpit ſolicite, quæ monſtri illius cauſa eſſe poſſet: cumque certo inveniſſet, puellam illam baptizatam non fuiſſe; ſacris limphis eſt abluta, et proprio, honeſtoque vultu ab viro illo conſtanter deinde viſa eſt.

Oſtendebatur Joſeph ardentiſſimus animarum zelus quoties regio illa affligebatur aliqua ex illis calamitatibus, quibus miſeræ conditionis noſtræ admonemur, et ad ea ſectanda provocamur, ad quæ divino beneficio inſtituti ſumus. Itaque ingruentibus peſtiferis morbis, tempeſtatibus, atque procellis imminentibus, vacillantibus ſub terræ motibus oppidis multo alacrior prodibat ad pugnam, hiſce veluti auxiliariis copiis adjutus ad audacius ſuſcipienda prælia impelleretur. Utque hiſce flagellis admoniti e veterno ſuarum noxarum excuterentur, atque excitarentur ad veram pœnitentiam peccatores, nullis ipſe incommodis parcebat. Horribili an. 1746. illo terræ motu, quo Callai oppidum terræ, mariſque voraginibus abſortum, Limana urbs totius imperii lumen prope extinctum eſt; neque conſiſtere diu, quæ ſupererant ab primo impetn, ædes poſſe videbantur, cum vehementer concuſſæ, hianteſque aſſiduis deinde aggreſſionibus impeterentur. Integro menſe catechizandi, orandi ad populum operam ſuſcepit Joſeph Arequipæ, tantoque ſpiritus ardore calamitate illa uſus eſt, ut noxii ad bonam

frugem reverterentur, et undique lacrymæ, ejulatuſque audirentur eorum, qui anteactæ vitæ aberrationes deteſtabantur. Erant publicæ, et frequentiſſi næ in ſe acriter ſævientium proceſſiones, quibus ſi modus non fuiſſet præſcriptus, verendum erat, ne juſti termini tranſilirentur, ut nonnullis accidit, qui eo fervore pertracti crimina proprio ſanguine expiandi, haud multo poſt obiere.

Hocce gerendi aſſidui belli adverſus infernas poteſtates miniſterium quamvis plenum laboribus, et ſibi plurimis obnoxium inſectationibus, præferebat Joſeph quibuſcumque commodis, et honoribus, quos putabat nihili dum in ſuſcepto conſilio permanere ad mortem uſque poſſet. Arequipa cum Limam eſſet vocatus, uberiorem, amplioremque campum nactus in labores, ſudoreſque aſſiduos ſeſe effudit tanta contentione, ut ſui prope oblitus videretur. Equitum ſodalitio præſidens obibat omnia munera eximia ſolicitudine; Monialium Cænobia percurrebat, eas ad perfectionem conſiliis, adhortationibus, ſpiritualibus exercitationibus inflammans. Faciebat verba ad populum, arrepta quacumque occaſione; aderat aſſiduo morientibus diu noctuque, quibus ut præſto eſſet, ac ceteris ſociis præiret, audito ſigno quo nocte quiſquam ſocius ad hocce charitatis eximiæ miniſterium vocabatur, ipſe primus ſiſtebat ſe ſuperiori, ut relicta ceteris quieſcendi poteſtate, ad operam ipſe mitteretur. Quidquid arduum

duum erat, atque incommodi maximi, id ſibi ipſe depoſcebat. Percurrebat ſingulis hebdomadis duodecim quæ Limæ ſunt Noſocomia, ægrorum confeſſiones excipiens, eoſdemque erigens ad pleniſſimam cum divina voluntate conformationem: carceribus detentos non præteribat, quos frequens inviſebat, ac conſolabatur in iisdem miniſteriorum ſuorum partem non exiguam collocans.

Dum proximorum ſaluti tanta alacritate invigilabat regia eſt lege compulſus ab omni miniſterio ceſſare, ac renavigare in Europam. Erat hic caſus fortaſſe acerbior, quo tentari ejus animus poſſet: at quamvis graviſſimo vulnere configeretur, ſubdidit ſe penitus divinæ voluntati, qua ſine nihil accidere ſibi poſſe probe ſciebat, paratus quaſcumque ſubire tribulationes terra, marique, quamvis gravi ducendi ſpiritus difficultate premeretur. Ferrariam venit altero poſt Americanos reliquos anno, quibus ea præſtare miniſteria denuo aggreſſus eſt, quæ in illis regionibus domeſticis, externiſque ſolebat. Obibat domos omnes, in quibus decumbere ægrum ſocium ex ſuis noverat, huic in ſpiritualibus, ac corporalibus præſto aderat, nihil humile, abjectumque detrectans, quicumque eſſet æger; nam cum ſolius Dei intuitu operam præſtaret ſuam, uno omnes ordine habebat: inopes non miniſterio modo, ſed largis etiam eleemoſynis proſequebatur, qua in re ut abundare poſſet, communi victu, tritoque ve-

veſtitu contentus, reliqua ſibi ſuperflua exiſtimabat, pro egregia animi demiſſione indignum ſe reputans, qui aliorum miniſterio addiceretur. Hac virtute mire emicuit, ejuſque tot nobis monumenta reliquit, ut perſequi ſingula inſtituti noſtri ratio minime patiatur.

Solemnis quatuor votorum profeſſio unicum erat præmium, quo proſequi alumnos ſuos ſocietas ſolebat, quos conſtabat perfectionis propriæ, ac ſcientiarum ſtudio inſudaſſe diligenter. Hujus conferendi tempus cum fugiſſet ſuperiores; hoſce nulla ſignificatione admonuit Joſeph, ut debitus ſibi honos haberetur, cujus indignum ſe utroque ex capite arbitrabatur. Cum Collegiis præficeretur, tantis ſe onerabat probris apud ſuperiores, ut hi etiam inviti cogerentur imperata revocare. Exprobatus, contumeliis affectus, criminationibus appetitus, niſi loqui juberetur, ſuſtinebat omnia invicto ſilentio, multo acerbioribus moleſtiis ſe digniſſimum judicans. Non in collegiis modo, ſed exul etiam privatis in ædibus conductis abjectiora quæque, magiſque incommoda ſibi adſcribebat, etſi contubernales ſuos omnibus nominibus longe ſuperaret. Ab eo, qui res domeſticas curabat, ducebatur ac ſi infimus omnium ſervus eſſet, quin umquam curator iſte expertus omnia, quibus commoveri ille potuiſſet, vel minimam Joseph querelam audire potuerit, aut nutum intueri, quo ejus agendi ratio cum eo improbare-

tur

tur. Huic ſuberat eo ipſo obedientiæ ſpiritu, quo Superiorum quondam ſuorum verba, nutuſque excipiebat.

Ceterum ducebat dies ſuos iis religionis, pietatiſque exercitationibus totus intentus, quibus ab adoleſcentia delectabatur, procul ab omnibus ſolatiis, quæ ab iiſdem poſſent eum retardare. Ac licet in ſe eſſet ſeveriſſimus, acrique carnem contentione excruciaret, probabat plurimum in aliis honeſta illa ſolatia, quæ ſibi maximo, qualem ſe reputabat, peccatori minime convenirent. Adibat deambulationis loco modo has, modo illas ſacras ædes, in quibus ſciebat religioſe poſſe, ac ſine tumultu orando immorari, obvios ſocios feſtive ſemper, atque alacris ſalutabat, ut ex ea comitate facile appareret eximius animi candor, quem veluti a natura acceptum ad ſenectutem uſque excoluerat præcipua in Deum pietate, ac charitate in proximos. Ut hi noxis, criminibusque ſatisfacerent, quibus præcipue Salvatorem noſtrum offenderant in maximo amoris erga nos ſui miſterio, excitabat in omnibus Sanctiſſimi Jesu Cordis cultum, ad hoc inſtitutum; icones, ferventiſſimas laudes, piiſſimaſque preces typis editas large diſtribuens. Colebat matrem dilectiſſimam Beatiſſimam Virginem, cujus feſtivitates omnes ab adoleſcentia novendialibus precibus præveniebat, et ſingulis diebus pluries precatorio rosario ſalutabat: id ſequebantur tot aliis ſanctis

ctis fusæ preces, ut non parvi negotii res esset pluribus pone eum sequi.

Inter hæc excesserat jam Joseph ætatis annum quintum supra septuagesimum, auctisque morborum viribus, quibus jam dudum vexabatur, sentiebat adventare libertatis suæ diem, ad quem ab adolescentia proludebat. Huic excipiendo parabat sese ea animi tranquillitate, quæ proximæ felicitatis exordium videri poterat: nihil enim erat quod negotium facesseret animo ab terrenis omnibus distracto, et cui ardor ingens, quo ad superna contendebat, eorundem brevi obtinendorum pignus exhibebat. Admonitus instare tempus, ut sacro viatico muniretur; in me nulla, inquit, mora, divino beneficio, et quod supereſt vitæ meæ tempus, id totum libentissimo animo divinæ voluntati resigno, ab infinita misericordia sperans non rejiciendum mei totius sacrificium. Corroboratus est Divino Sacramento hisce cordis affectibus, virtutumque omnium actibus, quos diuturna exercitatione cum sibi familiarissimos fecisset, resolutionis imminentis conspectus vehementiores multo excitabat. Sacro deinde oleo inunctus, cum propius ad vitæ terminum accederet; compellabat dulcibus colloquiis, ut sibi adesset morienti, Sanctissimum B. V. Mariæ Sponsum Joseph, cujus nomine ipse gloriabatur, quemque sibi patronum, intercessoremque adsciverat apud divinam misericordiam, quousque deficientibus omni-

no

no viribus, ac demum extinctis, fato functus est placidissime 9. Aug. 1783. et pauperis Sacerdotis ritu ad S. Franciscæ Romanæ tumulatus.

R. D. BONAVENTURA A S. VINCENTIO

QUæ plurima nobis reliquit Bonaventura effulsimæ charitatis monumenta, cogunt nos, ut ejus memoriam justa commendatione prosequamur, qua excitemur etiam vehementius ad ejus imitationem, et posterorum utilitati hisce propositis exemplis inserviamus. Fuit Bonaventura Cantaber natus Marauri, quod oppidum est Provinciæ Alabæ 4. Julii an. 1720. loco illustri, ac parentibus, quibus cum christianæ virtutes omnes terrenis omnibus opibus, ac nobilitati longe præferendæ viderentur; has nullo habendas loco, illas vero toto mentis conatu quærendas arbitrabantur. Itaque quos a Deo acceperant filios hisce informabant religionis regulis, summoque studio elaborabant, ut teneris eorum men-

mentibus alte infigeretur Supremi Numinis timor, quem recte factorum omnium fontem esse sciebant. Nec religiosæ solicitudinis fructum diu distulit pro infinita sua Bonitate Deus: namque Emmanuel, qui natu major erat, ita terrenas res omnes contempsit, ut Deo famulari inter temporales Soc. Jesu coadjutores quibuscumque honoribus, et commodis prætulerit, atque idem Institutum, diverso quamvis in statu ab prima adolescentia Bonaventura noster amplexus sit. Colebat hic ab teneris indolem egregiam, quam par ingenii acumen, atque amplitudo ornabant, et quo tempore Parentum institutione ad omnem honestatem informabatur, arripiebat avide præcepta, quibus latinæ linguæ regulis, usuque instruebatur. Hæc cum essent Societatis præsidibus notissima, nec nota minus morum honestas, facilem ei aditum ad vivendi rationem, quam optabat, aperuerunt, expletoque ætatis anno quinto decimo inter Tyrones adscriptus est Hispali, qua in urbe eo temporis germanus frater versabatur.

Quamvis esset admodum adolescens, ingenioque vivido, et acri, ita suscepit religiosæ vitæ institutiones, ut tot inter Tyrones eluceret ejus modestia, virtutis studium, alacritas in his, in quibus exerceri illi solent. Cumque alte imbiberet animo quanti esset apud Deum meriti procurandæ proximorum salutis ministerium, ad quod a Deo vocabatur, sentiebat excitari simul in corde desiderium ar-

ardentiſſimum traducendi vitam totam in ethnicorum converſione, in qua contentione ſi profundere ſanguinem accidiſſet, putabat iſtud ſupremum beneficium. His plenus cogitationibus, ac deſideriis cum biennii vota nuncupaſſet, quæ optabat ardenter, ea præſidibus ſuis expoſuit, ita vero ut penderet totus ab horum voluntate, atque conſilio. Annuerunt votis ejus præſides; cumque eo temporis Hiſpali eſſent Peruvianæ provinciæ Procuratores, hiſce adſcriptus eſt Bonaventura cum Germano Fratre Emmanuele, qui ei datus eſt comes, et conſcensa cum Sociis reliquis nave, poſt longam navigationem ad portum Callai appulit, inde Limam migrare juſſus, et oratoriæ præceptis denuo erudiri, brevi audiendis Philoſophiæ, et deinde Theologiæ ſcientiis addictus eſt, quibus in ſtudiis et præſidium, et præceptorum ſuorum votis fecit abunde ſatis.

Studiorum curriculo, quo tempore adeo facile ſolemus ab illa mentis quiete, ac tranquillitate diſtrahi, quæ colendo ſpiritui eſt neceſſaria, ſic comparandis ſcientiis inſudavit Bonaventura, ut præ oculis habere oſtenderet finem, ad quem ſcientiæ omnes dirigi, ordinarique ab eo deberent, qui Apoſtolicis miniſteriis eſſet addicendus. Itaque non condiſcipulis modo, ſed reliquis etiam ſcholaſticis antecellebat virtutum exercitationibus, quas recordari non poſſunt qui modo ex illis reliqui ſunt,

quin

quin ejus memoriam grati animi ſignificationibus proſequantur ampliſſimis, cum fateantur, fuiſſe ſe ab ejus exemplis ad virtutem comparandam vehementer excitatos: et mirari ſolitos cum tantam Bonaventuræ in utroque ſtudio contentionem, etſi valetudine parum firma uteretur, tum ingenii alacritatem, acutos jocos, et ſales ita intra juſtos terminos cohibentem, ut cum contubernalibus ſuis exhilarandis mirifice valeret; nemini umquam eſſet gravis, aut moleſtus. Hac gemina laude cum ſtudia confeciſſet ſua, et tertio eſſet probatus, adſcribi Moxenſibus miſſionariis enixe poſtulavit. At præſides ab ejus virium imbecillitate deterriti, noluerunt tot laboribus objici virum, qui in minus laborioſis miniſteriis poſſet gnaviter inſudare. Juſſus eſt migrare Ycam oppidum frequentiſſimum, in quo amplam ejus zelus, ac laborandi deſiderium meſſem certiſſime conſequeretur.

Nec eos fefellit opinio; namque omnibus ſe Societatis miniſteriis tanta contentione, tamque invicta conſtantia, et aſſiduitate tradidit, ut graviſſimus ille Vir, quem ſupra meminimus, Jacobus Perez, qui ei domui præerat, omnia paucis verbis complectens, dicere ſoleret, ſolum Bonaventuram totius Collegii pondus ſuſtinere egregie poſſe. Vehementius etiam multo in eadem opera inſudavit, poſtquam ſolemni ſe profeſſione adſtrinxit, qua cogi ſe ad vitam plane apoſtolicam arbitrabatur. Cum

eo

eo in oppido integros decem annos maximo incolarum commodo illuſtria hæc ferventiſſimi ſpiritus experimenta dediſſet, relicto Ycenſibus magno sui deſiderio, vocatus eſt Limam, ut in Tyrocinio adoleſcentibus noſtris eſſet in religioſis inſtitutionibus dux, et adjutor, cum ejus vivendi ratio ea eſſet, quæ Tyrones deberet ad omnem virtutem excitare. Ipſe vero cum hoſce intra terminos ardentiſſimi ſpiritus vires cohibere non poſſet, quo tempore præcipuo ſuo muneri faciebat ſatis, quod reliquum erat ceteris externis miniſteriis tribuebat, ea alacritate, quam in ſoluto ab omnibus aliis curis quiſque jure admiraretur; neque hisce contentus tradebat crebro ſpiritualia S. P. Ignatii exercitia in receſſu Tyronum domui proximo illis, qui exerceri aliquot dies poſtulabant: aderat in eodem Aſceterio ſingulis menſibus integrum diem animi excolendi, exercendique negotio tribuentibus, quorum crebris adhortationibus inflammatorum confeſſiones excipiebat tanta aſſiduitate, ut hæc intueri ab aliis maxima ſine admiratione non poſſet.

Cum tanta contentione alienam ſalutem procuraret, perfectionis ſuæ nihilo ſegnius ſatagebat, imo ex hac excolendi ſui cura, atque ſolicitudine tantus ille alienæ ſalutis ardor proficiſcebatur. Priusquam reliqui ſocii ſomno excitarentur, ſurgebat ipſe, cruentiſque verberationibus parabat animum ad meditationem ſequentem, hac inflammabatur arden-

tius ut ea religione ad Aras faceret, quæ adſtantium omnium mentes, animoſque percelleret, quod hac etiam in urbe ab pluribus omnium ordinum viris interna ſpirituali conſolatione, ac voluptate obſervatum eſt. Quam arctis ciliciis præcinctus incederet, apparebat facile ex ejus inceſſu, et gravi difficultate, cum præſertim genua flectere neceſſe erat.

Interea temporis cum diem ſupremum clauſiſſet egregiæ ſanctitatis fama Tyrocinii præfectus P. Beltranus Herbert natione Gallus, qui primis muneribus ſumma cum laude functus totam Peruvianam provinciam adminiſtraverat, et ſenio licet confectus, ac morbis poſtremos vitæ annos regendis Tyronibus dicaverat, juſſus eſt Bonaventura totius Domus curam in ſe ſuſcipere, cujus partes omnes ita explevit, ut ejus regendi ratio maxima omnium commendatione exciperetur. Omnium officiorum obſervantiſſimus cum eſſet ipſe, eadem exigebat ab omnibus, nec patiebatur ut quæ ex Inſtituto ſunt ab quopiam impune prætermitterentur: licet enim ſeveritate abſtineret, non parcebat admonitionibus, quæ mira ſuavitate, atque comitate conditæ id fructuoſius obtinebant, quam ab inflictis pœnis ſperari potuiſſet; cum omnes ſibi perſuaderent regi ſe ſingulari ſtudio, et charitate, quæ in ingenuos vim obtineant multo quacumque ſeveritate efficaciorem. Nec minori diligentia providebat nequid alicui de-

eſſet

eſſet, præcipue ægrevalentibus, quos materna pietate amplectabatur, nec patiebatur, eosdem quidquam deſiderare, quo refici, ac recreari poſſent, nullo loco habens ſumptus etiam maximos, dum ſibi ſubjecti Socii doloribus, vel angoribus levarentur. Hoc ſpiritu haud multo poſt adminiſtravit Callai Collegium pro demortuo rectore: cumque Collegio Ycensi eſſet præfectus; lege Sociis omnibus communi exulare juſſus eſt;

Suſtinuit inopinam ſortem invicto animi robore, et quamvis intueretur ereptam ſibi poteſtatem omnem procurandæ laboribus, ſudoribusque populorum illorum ſalutis, quorum amore patrio ſolo valedixerat adoleſcens, ſubjecit ſe penitus divinæ voluntati, qua nihil erat ei antiquius, et quas pro aliis ſuſceperat curas, eas ad domeſticos ſuos convertere omnes ſtatuit. Hac mente cum navim conſcendiſſet in Europam navigaturus, inſerviebat famuli inſtar ſociis reliquis ſenibus præcipue ægriſque aliena opera indigentibus, quin miniſterium ullum, etiam infimum detrectaret, velut ipſe ſolus ægrorum eſſet curator; iiſdem præſto aderat in ſpiritualibus etiam: benevalentibus erat aſſidua ad pleniſſimam patientiam in tot anguſtiis, atque laboribus cohortatio alacritas illa, et hilaritas, qua non modo navigationis communia incommoda, ſed victus etiam potuſque neceſſarii inopiam, caritatemque ſuſtinebat, magni lucri loco habens occaſiones om-

nes ludibria, contemptum, irriſiones, famem ſitimque Salvatori noſtro offerendi, cujus exempla eximia præ oculis habebat ipſe, et ut reliqui Socii haberent, enixe ab Domino poſtulabat; cum hæc ſola reficere poſſe, et corroborare eorum animos plane cognoſceret.

Neque navigationis, etſi longiſſimæ, tempore circumſcripta eſt hæc Bonaventuræ ſocios erga ſuos eximia charitas: nam et terreſtri itinere perdifficili, et cum Ferrariam veniſſemus, incæptum opus perſecutus eſt, dum hærere pedibus valuit, cum vehementer optaret exulibus ſuis quacumque in re opem ferre quam poſſet maximam. Hos ægros non inviſebat modo, ac conſolabatur verbis vi, ac robore plenis, ſed charitatis etiam omnibus officiis proſequebatur; obibat ſingulorum domos, et ubi opus erat præſtabat ægro miniſteria etiam abjectiſſima; aliis pecuniam ſubminiſtrabat, quam parcus victus, ac corporis cultus reliquam faciebat: aliis providebat medicinas, quas et medicus præſcripſerat, et ipſi ſibi pro inopia providere non poterant. Quæ omnia charitatis documenta pluribus præſtita diu expertus erga ſe eſt juvenis alter ex coadjutoribus ethica febre correptus aqua ad mortem tandem eſt perductus. Ipſius enim ſedula, atque amantiſſima mater majorem, quam Bonaventura ſolicitudinem non oſtendiſſet, nec ad ejuſdem conſolationem diligentiorem operam contuliſſet. Alter

ter ſuperſtes coadjutor gratiarum actionibus nunc etiam proſequitur ampliſſimis Bonaventuræ erga ſe charitatem, qui cum gravi, longaque infirmitate premeretur, ejusdem eſt et miniſterio relevatus omni, et largitate proſecutus, cum ſumptus omnes et medici, et medicinarum, quos facere pro inopia non poterat, ille alacriter in ſe ſuſceperit.

Cum hæc ejus eſſent naturæ, ut vix quemquam latere poſſent, erant in omnium ore charitas, et egregia Bonaventuræ ſanctitas, erant etiam pietas, ac religio, ex quibus utraque illa, velut ex radice planta, germinabat. Solita ſcilicet religioſæ vitæ exercitia conſtanter proſecutus eſt, quibus adeo nihil detrahebat, ut potius plura adderet, quoties ab præſtanda ægris cura non diſtrahebatur. Numquam fere ad Aras accedebat quin mentem prius ſacramentali confeſſione expiaſſet, quam ſolicitudinem oſtendebat etiam morbo oppreſſus, cum nihilo habens corporis dolores, ſolum moleſte ferret non poſſe quotidie confiteri. Solutus mature ſolitis exercitationibus, quod reliquum erat temporis matutini ducebat in cathedrali templo. Cum domi reliquis ſpiritualibus exercitiis feciſſet ſatis, dabat veſpertinas horas meditandi ſtudio aliis in templis, prout uniuscujuſque indulgentiarum ratio poſtulabat, vel etiam in Cathedrali ante Divinum Sacramentum diu genuflexus. Hinc vigilantiſſima ſenſuum cuſtodia cum acerba carnis maceratione; hinc

diſtractio ab terrenis omnibus, et ſupremi Numinis in omni actione quærendi ſolicitudo, cum tanta in proximos charitate conjuncta; hinc etiam alacritas illa, et ingenii hilaritas, qua aliorum angores, atque moleſtias levare, ac delere penitus ſtudebat.

Hæc inter placuit Deo Bonaventuræ virtutem in infirmitate diuturna perficere: paralyſi correptus, et medio corpore prope extinctus aliena ſine ope ne in lectulo quidem volvi poterat, quo in miſero valetudinis ſtatu plane oſtenſum eſt, quem perfectionis gradum attigiſſent plurimæ illæ virtutes, quarum benevalens tot, tamque illuſtria nobis documenta dederat. Nullum in eo perturbationis, afflictive animi animadverti ſignum poterat; apparebat patiendi ardor, et plena cum divina voluntate conſenſio, et ſiquæ ejus doloribus, atque infirmitati accedebat aliunde moleſtia, hilari eam vultu excipiebat. Septem integros menſes hiſce doloribus vexatus eſt, quo tempore chariſſimi Germani Fratris ſupremum morbum, obitum deinde tanta conſtantia ſuſtinuit, ut hoc intellecto, tenerrimis gratiarum actionibus Deum ſit proſecutus, quod chariſſimum ſibi caput, hiſce tribulationibus ereptum evocaviſſet ad præmia, quæ pro infinita largitate, ac miſericordia deſtinarat viro, quem virtutes plurimæ, et vitæ religioſiſſimæ ratio maxime commendabant. Inde cæpit ardentius optare diſſolvi, et eſſe cum Chriſto, quo ardenti deſiderio utebatur ſolici-

licite, ut ejus dilatio novum esset ei patiendi argumentum. At vires corporis, animi robori longe impares cedere validiori diuturni morbi violentiæ cæperunt, et sociis suis portendere haud procul esse tempus, quo tot laboribus solutus ad æternam requiem vocabatur. Munitus igitur, ac corroboratus est Ecclesiæ Sacramentis inter ferventissimos virtutum omnium actus; cumque tenerrimis cum Salvatore Cruci affixo colloquiis mira jucunditate frueretur, et B. Virginis opem singularem, Angeli sui Custodis, Parentis Ignatii intercessionem exposceret, atque imploraret; dulcissima morte functus est 4. Martii an. 1784. cum ætatis annum excessisset quartum et sexagesimum, atque ad D. Pauli tumulatus.

R. D. PASCHASIUS PONZE

EOs inter Apoſtolicos Viros, qui noviſſimis temporibus in excolendis Moxenſium nationibus præcipuam operam glorioſe collocarunt, clariſſimum ſibi locum vindicat Paſchaſius Ponze natus Limæ 17. Maj 1707. nobili loco, atque ita a teneris enutritus parentum inſtitutionibus, ut chriſtianas virtutes ſimul cum lacte ſuxiſſe videretur. Erat ſiquidem indole perdulci, claro ingenio, nec ullum in eo animadverti vitium poterat, quod ſive hoc, ſive illam inficeret, ac deturparet. Neque crediderim ſine ſingulari providentia factum, ut puer tanta ab parentibus ſolicitudine erudiretur, tamque avide arriperet regulas honeſtatis, atque chriſtianæ religionis præcepta, cum in tenera ætate utroque ſimul privandus eſſet. Sæviebat Limæ peſtifer morbus, ex eorum genere, quibus viduari regiones civibus ſolent, et uti Deus ut perditi homines ad bonam frugem revocentur, honeſti, ac probi eodem flagello admoniti ad ſuperna feſtinent ardentius. Correpta eſt lethali morbo tota Paſchaſii familia, ac tota pro-

pe-

pemodum extincta, intacto eo puero, quem multarum gentium ſaluti Divina Providentia deſtinarat. Parentibus deſtituti curam ſuſcepit Patruus, qui procul ab urbe Eccleſiam Curio adminiſtrabat, et tantæ domeſticæ cladis conſcius Limam venerat, ut res familiaris in tuto collocaretur, et qui reliqui eſſent ex peſtifero morbo minorem quam fieri poſſet ex parentum interitu jacturam paterentur. Paſchaſium ſecum duxit, ut primis litterarum elementis informatum, latii ſermonis præceptis erudiret, procul arceret ab offenſione omni, et in ſuſceptis jam chriſtianæ vitæ regulis uberius confirmaret.

Puerum cum videret optimæ indolis, et in cujus corde pietatis, honeſtatiſque omnis ſemina altiſſimis infixa radicibus in maturam frugem citiſſime germinarent, in eo excolendo mirifico ſtudio, nec minori voluptate adlaborabat; brevique eſt conſecutus, ut plurimum chriſtianis virtutibus, plurimum litteris emicaret. Itaque Patrui votis cum pleniſſime feciſſet ſatis Paſchaſius, juſſus eſt Limam remigrare, ut quas domi opportune non poterat, ſuperiores artes in urbe audiret ingeniis plurimis, graviſſimiſque ſcientiis florentiſſima ab Patribus Societatis Jesu, quorum curæ ac ſolicitudini præcipuæ erudiendæ juventutis partes erant traditæ. Adoleſcens acuti, amplique ingenii, ejuſque excolendi avidiſſimus celeriter alios inter emicuit, et abunde inſtructus cito viſus eſt, ut naturali Philoſophiæ navare

ope

operam cum fructu, et laude posset. Ipse vero, qui internis stimulis admonebatur, ut relicta terrenarum rerum spe omni, et cogitatione, æternam salutem tutiori in loco collocaret, in christiana potius comparanda philosophia operam conferre omnem statuit atque enixe postulavit, ut in Sociorum numerum adscriberetur. Nullius negotii res fuit id adsequi quod optabat, cum præter majorum commendationem, plurimum apud Societatis Præsides valeret Paschasii ingenium, et studium; plus etiam ad omnem virtutem compositi mores.

Aggressus est religiosæ vitæ tyrocinium ætatis annum cum explesset sextum decimum, die scilicet 29. Nov. 1723. Difficile dictu est quanta animi tranquillitate sit ac jucunditate affectus cum in eo se salutis portu procul ab sæcularibus procellis, atque turbinibus constitutum vidit. Effundebat sese in gratiarum actiones assiduas, et tenerrimas pro beneficio, quod inter præcipua recensebat, et cujus conspectu ad omnem virtutem summo studio prosequendam excitabatur. Huic ut gratiam referret quam posset maximam, offerebat se totum, et sua Supremo Numini, id in votis habens, ut in omnibus vires suæ, vitæque momenta omnia Eidem fideliter famularentur. Hæc erant Paschasii vota, quæ manifeste ceteris Sociis apparebant ex religiosissima regularum custodia, promptitudine, atque eximia animi alacritate, qua communia Tyronibus offi-

officia obibat. Colebat ſummo ſtudio ſilentium, et revocatam ab reliquis cogitationibus mentem ad internas meditationes compellebat, quibus mirifice delectabatur, ſive divinarum perfectionum, ſive beneficiorum acceptorum, quorum recordatione corroborari animum ſentiebat, atque inflammari ad ardua quæque ſubeunda, ut Dei gloriam primum, proximorum deinde æternam ſalutem pro vocationis ſuæ inſtituto procuraret. Ita jactis religioſæ vitæ illius fundamentis, quam ardentius deinde ad mortem uſque eſt perſecutus, confecto Tyrocinio maxima ſui commendatione, Oratoriæ præceptis denuo excultus, philoſophiæ, ſacræque Theologiæ cognitionibus tanta eſt laude inſtructus, ut utraque in ſcientia eos honores adeptus ſit, qui ſolis præſtantiſſimis haberi ſolent.

Horum ſtudiorum tempore fovebat animo ingentem ſpem vitam exigendi totam inter ſilveſtres nationes, ad quarum procurandam æternam ſalutem tam vehementer dudum inflammabatur: quæ ſpes vivida magis, ardentiorque fiebat, cum inſtare tempus cæpit, in quo Sacerdotio initiatus, et tertio probatus exercendis Societatis miniſteriis erat deſtinandus. Eo cogitationes omnes ſuas, vota, preceſque contulerat, ut ab Supremo Numine implereſtur ſpiritu plane apoſtolico, quo inſudare cum fructu poſſet proprio, atque alieno in vocandis illis gentibus ad ſalutis viam, quod erat unum in vo-

tis

tis, et ſe obtenturum minime dubitabat. Nec fruſtratus eſt ſpe ſua: namque cum Provinciæ Præſidi ſignificaſſet aperte quidem, atque acriter, animo vero ad utrumlibet parato, quantis, quamque acribus ipſe ſtimulis ad Moxenſium populorum inſtructionem urgeretur; is cui Paſchasii ad id muneris partes omnes erant notiſſimæ, annuit ejus votis, ac poteſtatem fecit, ut, cum vellet, in illas regiones iter inſtitueret.

Longiſſimæ viæ, ac laboribus plenæ commiſit ſe cito Paſchaſius, qui ſibi jam videbatur ad deſideriorum ſuorum terminum perveniſſe; eam prope totam pedes confecit, cum diceret velle se pedes ſuos ad illum itineris laborem exerceri, ut jam inde adſuefcerent operi, ad quod neceſse erat ut eſsent paratiſſimi: atque in illas regiones jamjam ingreſſurus in quibus qui degeret, toti terrarum orbi valedixiſſe oportebat; exuit omni ſe amicorum, patriæ, propinquorum etiam cogitatione, eorum non amplius reminiſcens futurus, quam Dei charitas poſtulabat: cum mentis conatus omnes, et cordis affectus ad illas barbaras gentes verteret, quas jam tum veluti divino oraculo ſibi commendatas intuebatur, et in quarum commoda, utilitateſque conferre curas omnes debebat; ſive conſervandis in fide neophitis addiceretur, ſive penetrare in abditiſſimas ſilvas deberet, e quibus tamquam feras ab ſpelùncis vetuſtiſſimis extraheret nationes, quibus nova oppida Chriſto adſtruerentur. Interea autem ne patiendi

ardor otioſus remaneret, longitudine, ac aſperitate viarum illi labori non adſueti pedes plurimis modis cruciabantur.

Populo S. Pauli ex ſuperioris decreto addictus linguam Mobimacham, quæ vernacula illi populo eſt, ac pronuntiatu difficillima tanto conatu diſcere ſuſcepit, ut brevi tempore in pluribus miniſteriis opem ferre ſocio ſuo potuerit longa ſenectute, ac valetudinis incommodis plurimis ita vexato, ut vix trahere corpus ægrum poſſet. Quare haud multo poſt ſpiritualem, ac temporalem curam in Paſchaſium transferre omnem ſenex potuit, qui cum mitiſſima indole polleret, et cordis tenerrimi ſigna haud dubia ubicumque apparerent, quæ res conciliandis ſibi populorum illorum animis plurimum haberent invicti roboris, celeriter factum eſt, ut Neophitorum præcipuos arctiſſime ſibi devinxerit, eoſque paratiſſimos habuerit ad quodcumque arduum, ac glorioſum facinus aggrediendum. Itaque cum ſenex ſocius longo ſenio, ac laboribus fractus morte glorioſa diem clauſiſſet extremum, et novum commilitonem ſuum apoſtolicis omnibus miniſteriis haberet exercitatiſſimum Paſchaſius, accinxit ſe operi, quod plurimum haberet laboris, atque diſcriminis. Acceperat ex vulgi ſermonibus eſſe in interioribus, montibus ac ſilvis nationes quasdam, in quas nullus adhuc ſacræ religionis miniſter penetrarat; illis igitur ut lumen veritatis affulgeret, iter ſuſci-

pere

pere ſtatuit, nihilo habens difficultates omnes, vitæque diſcrimina, quibus certiſſime objiciebat sese.

At cum propriæ infirmitatis probe conſcius vires omnes ſciret ab ſola divina Pietate, ac miſericordia requirendas, atque ſperandas, priuſquam meditatum facinus aggrederetur, integrum menſem vacavit ſacris meditationibus in solitudine feceſſus ſui; imploravit opem divinam enixis precibus, ac uberrimis lacrymis, ut gentes illæ ad veram religionem vocatæ venirent; neve ſuis ipſe noxis impediretur ad palmam martyrii pervenire, ſi tanta gratia, tantoque beneficio cumulare eum vellet infinita Miſericordiæ Pater. Erant gentes illæ in quas irrumpere ſtatuerat, ferocitate barbaræ, quæque vix umquam pharetram, ſagittaſque exuebant, parati in advenas quoſcumque ſævire, cum nullam hospitii legem, nullam prope naturæ communis conditionem in externis tuerentur. Erat igitur maximi negotii facinus in eorum regionem non vocatum quemquam penetrare. At Paſchaſius, cui in ſuſcepto ad tantam Dei gloriam, proximorumque ſalutem opere nihil accidere potuiſſet gratius, quam aut gentes illas ad Eccleſiæ gremium perducere, aut in cauſa animam ponere, nihil tanta difficultate, periculiſque deterritus, quoſdam neophitos, quos magis ſtrenuos, et ad ardua paratiores noverat, vocat ad ſese, quid animo verſet, decreveritque edocet. Obſtupuere ſcilicet neophiti, cum probe

be ſcirent quam certis vitæ periculis omnes ſe objicerent: cum vero tenerrimus amor, quo evangelicum miniſtrum ſuum proſequebantur, minime pateretur, ut illo proficiſcente, ipſi in oppido conſiſterent; arreptis armis, quibus opem qualemcumque ferre optimo Curioni ſuo poſſent; iter cum eo aggreſſi ſunt pedites; namque jumenta impedimento potius, quam auxilio fuiſſent. Erant ſiquidem penetrandæ ſilvæ feris ipſis imperviæ, ſuperandi montes, in quibus ſemitæ ne veſtigium quidem, vado tranſeunda flumina, et paludes quarum in altiſſimo cœno hærere immobiles viatores poterant. His plurimum addebant negotii tigrides, Leones, Leopardi, quibus regio illa maxime abundat, quos ſi accenſus nocturno tempore ignis ab requieſcentibus ſub arbore, vel ſub dio arceret, imminebat aliunde aſſiduum vitæ diſcrimen ab viperis ſæviſſimo, promptiſſimoque veneno armatis, quæ nullo ſtrepitu celerrime repentes mordere ſtatim, veneque læthali inficere eos ſolerent, quos nulla cautio tueri poſſet, atque defendere.

Hiſce incommodis, atque periculis cum trecentorum milliarium iter confeciſſent, ad locum pervenerunt, in quo barbaræ illæ gentes conveniebant. Duplici natione conſtabat conventus Typoiſorum altera, altera Pacavarorum, qui cum adverſus finitimas nationes aſſiduum bellum gererent; caſtrorum in morem vallaverant crebris, denſiſque

arbo-

arborum truncis ingens terræ ſpatium, ubi ab improviſis hoſtium aggreſſionibus ſese tuerentur; atque ea arte munimenta illa ordinarant, ut penetrare in centrum niſi per longas, implicataſque ambages nemo poſſet, pateretque interea, ſi quis auderet, hoſtilibus ictibus eorum, qui abditiſſimis in locis collocati nullam ſui corporis poteſtatem faciebant haſtis aut ſagittis hoſtis oculatiſſimi, promptiſſimique. Conſtitit cum Sociis Paſchaſius extra vallum procul ab teli jactu, cumque pacis ſignum oſtendiſſet iis, qui in caſtris excubias agebant, ſolitis inter eos corporis flexionibus, depoſitiſque in terra armis, cum nox immineret; ad quietem eodem quo cum ſociis conſtiterat loco, se compoſuit, ut primo oriente die a barbaris intelligeret, quo animo ejus ad illos adventus exciperetur. Dum ceteri curabant corpora, ferventiſſimas Paſchaſius fundebat ad Deum preces, ut gentes illæ divinæ gratiæ vinculis ad veræ fidei, religioniſque cognitionem, profeſſionemque traherentur: donec tandem orto ſole viſi ſunt procul barbari illi ſeceſſu e ſuo prodire armati longo ordine, inde choreas inſtituere, quas dum more ſuo barbarico hac, illac ducunt, conſulto patiuntur, ut modo arcus, modo ſagittæ in terram decidant, nec lapſas curant. Hic eſt apud eos ritus, quo excipi hoſpites pacifice declarant, ac iiſdem patere aditum ad caſtra. Hoc ſigno, veluti reſponso accepto, ingreſſi Neophiti intra vallum pene-

netrarunt ad nationum illarum proceres, ſuſcepti itineris cauſam expoſuerunt, veniſſe ſecum virum, quem ſola ardens cupiditas plurimum de illis benemerendi ad eas regiones traxerat, quem ſi audirent, pro certo haberent, ejus adventum in maximum eorum commodum redundaturum. Ingreſſus eſt, facta poteſtate Paſchaſius, et octo dierum ſpatio, quibus inter eos verſatus eſt, ita eorum animos mira agendi ſuavitate delinivit, allexitque, ut gentem integram ad Chriſtianam fidem pertraxerit, et rite eruditam ſacris ſanctificaverit lymphis, tanta animi jucunditate, ut labores præteritos, famem, ſitim, vitæ diſcrimina omnia non jam recordaretur.

Cum Neophitos hoſce in tuto jam collocaſſet, atque religionis in rebus ita haberet eruditos, ac firmos ut ejus conſpectu ad aliquot dies carere ulla ſine jactura poſſent: expertuſque eſſet perbenignam erga ſe divinam misericordiam; iterum penetrare ſtatuit in barbaras, ac ſilveſtres nationes, cum jam integro menſe ſolitis ſese ſpiritualibus exercitationibus uberius armaſſet. Erat eas inter gentes Cayubabarum natio, in quam præcipuo animi ardore ferebatur, quamque ut ab tenebris ad veræ fidei lucem revocaret, novis ſe laboribus, gravioribuſque vitæ periculis committere non dubitabat. Suſcipiendum ſiquidem erat iter multo longius, difficiliuſque, in quo ſubeundi aſſidui cruciatus, quos examen incredibile inſectorum minutiſſimorum afferebat *Pol-*

vorinos incolæ vocant vermiculos, qui uti pellem penetrarunt, pruriginem excitant aſſiduam, moleſtiſſimamque, ab qua qui ſcalpendo ſublevari velit, longe gravius in malum incidit, cum quæ pars unguibus tacta eſt, ea in plagam ingentem aperiatur: itaque qui hac inſectorum lue infectus ſit, veſtes prorſus omnes mutet neceſſe eſt. At Paſchaſius cum ſola veſte fuiſſet contentus, martirio illi totus patuit, quamdiu in illis regionibus commoratus eſt. Multo erat difficilius vitam tueri ab tigribus in ſilvis denſiſſimis, quæ in arboribus latentes improviſe aggrediuntur tranſeuntem, et lethali vulnere mira celeritate confoſſum relinquunt. Ab altera ex his pæne oppreſſus eſt, quæ tamen cum cauda eum demulſiſſet; ſingulari, ac Divino beneficio ab omni vulnere abſtinuit. In nationem tot laboribus quæſitam pervenit Paſchaſius, confecto centumquinquaginta leucarum itinere; eam vero totam ita ad Chriſti fidem perduxit, ut ne unus quidem ex illis ſacro ſine baptiſmate deceſſerit.

Hiſce fortunatis meſſibus excitatus ardentius, tertium in illas gentes penetrare cogitabat; cum ſupremi Præſidis præſcripto juſſus eſt miſſionariis omnibus illius regionis præeſſe, quod munus maxima omnium probatione cum geſſiſſet; datus eſt toti provinciæ præſes, quam et ſumma prudentia, ac charitate adminiſtravit, et occaſionem ſibi gratulati ſunt ſocii omnes cognoſcendi virum, in quo

ter-

terrenarum rerum, ſuique contemptum legere, veramque Apoſtoli imaginem contemplari quiſque poterat. Functus hiſce muneribus magna ſui commendatione, quam manifeſtum Sociorum commodum excitarat, ardebat vehementer ad ſuos Moxenſes populos remigrare, ut inter eos morte fungeretur, quorum ſaluti procurandæ triginta prope vitæ annos dicaverat. Cum vero obedientiam cuicumque ſacrificio præferendam ex divino oraculo didiciſſet; regendam Profeſſorum domum ſuſcepit. Eodem obedientiæ ſpiritu ſubjecit ſe paulo poſt regiæ legi, qua ſimul cum aliis ſociis exulare jubebatur; quam rerum viciſſitudinem eo animo tulit, qui virum vere apoſtolicum decebat.

Namque etſi probe cognoſceret quanti ſibi ſexagenario imminerent terra, marique labores, quantæque moleſtiæ ferendæ eſſent; nullum ei privato negotium faceſſere hæ poterant, cum ab ætate vigentiori laboribus adſueviſſet longe gravioribus; nec maris inconſtantiam, crebraſque procellas cogitatione ſua dignas exiſtimabat Vir, qui toties vitam objecerat ſtrenue periculis multo manifeſtioribus. At quem animi dolorem inde non experiebatur, patiebatur multo acerbiorem ab conſpectu malorum Moxenſibus ſuis imminentium, quos in fide ſuſcepta teneros defectioni cernebat valde obnoxios: ab ſorte deinde Sociorum ſuorum funeſtiſſima, queis religioſis e clauſtris extractis videbat ſubeundas eſ-

se tempeſtates, quæ ſuperari ſingulari ſine Dei beneficio non poſſent. Cum vero de Divina Providentia certus eſſet, et humana omnia ſciret Ejuſdem voluntate, ac nutu regi, dirigique, in hac adquiescebat, ut in optimo, chariſſimoque parente filius obſequentiſſimus.

Suſtinuit hac mente impavidus navigationis diuturnæ, cibi potuſque caritatem non vulgarem, moleſtiarum reliquarum agmen horridum ſuperavit, ſui immemor omnino, et ſortem eorum dumtaxat dolens, quos videbat hiſce laboribus minime adſuetos, iter facere pedibus per perruptos montes, et difficiles ſaltus, et misero tenuique victu refectos locum quærere in aperto ſolo, ubi feſſa corpora curarent. Hæc ſine acerbo dolore intueri non poterat vir mitiſſimæ indolis, quique ſuos nihilo ducens, alienis laboribus acerrime torquebatur. Hiſce paululum eſt relevatus cum Ferrariam veniſſet, et quas hactenus geſſerat Provinciæ Præſidis partes, huic tradidiſſet, relicta ſibi procuratione domus, quam aliquot, e noſtris Socii incolebant. Hic namque terrena omni cura ſolutus, et ſolis cæleſtibus intentus, emicare cæpit illuſtrius virtutum omnium exemplis, quarum anteactæ vitæ tempore tot dederat egregia documenta.

Exquo ſcilicet, relictis cultioribus regionibus, in illos abditiſſimos Moxenſium tractus apoſtolicus præco penetravit Paſchaſius acerbiſſimis corporis cruciacia-

ciatibus dudum ſolitis omnem ab carnibus abſtinentiam adjunxit, omnem etiam vini, cum præter aquam potum ſibi, quemcumque alium omnino interdixiſſet: prandium duplex ovum inſtituebat, hoc jubebat corpus eſſe contentum etiam cum Provinciam adminiſtraret, et cum Ferrariæ degeret ad poſtremam uſque ægritudinem eodem ſemper uſus eſt; nec ab eo poſtremis vitæ diebus receſſiſſet niſi ex medici imperio coactus fuiſſet veſci carnibus, et vino modiciſſimo veluti medicina uti. Hoc parciſſimo cibo vix ſuſtineri poſſe videbatur procerum corpus, atque natura ſua robuſtum: at pallor aſſiduus, quo vultus obtegebatur, oſtendebat intuentibus quale ille ſpiritus imperium in corpus exerceret. Equidem cum crebro Paſchaſium in templo urbis maximo intuerer, in quo diei partem potiorem orando ducebat; hærebam in ejus obtutu attonitus, videbarque mihi virum plane Apoſtolicum intueri, qualemque evangelicæ leges, ac conſilia nobis exhibent perfectiſſimum. Ex familiari cum Deo, ac Beatis conſuetudine, ex diuturna cœleſtium meditatione hauſerat eximiam animi demiſſionem illam, qua cum ceteris eſſet præpoſitus, putabat ſe omnium minimum; neque hac ſui opinione contentus, infima, obſcura, incommoda magis ſibi deligebat. Terra, mariqúe etiam contra adnitentibus Sociis, quibus ipse præerat, cum aliis ætate vigentibus et viribus providiſſet, quo quiſque loco pro an-

anguſtiis, in quibus verſabantur omnes, requieſcere poſſet, ipſe ajebat ſibi ſufficere nudam terram, cum huic ipſe lectulo ab robuſta ætate adſueſſet. In conductis domibus amabat deteriora, et dum reliqui contenti eſſent, sua nequidem cogitabat. Inde illa erga omnes charitas, comitas, facilitas, illa ſingularis modeſtia, qua omnium mentes, animoſque trahebat ad ſese, cum re magis, quam verbis oſtenderet quantam de aliis exiſtimationem, quam demiſſam ſui opinionem animo foveret.

Hanc ſequebatur eximius paupertatis amor. Præter miſerrimum, quem modo meminimus, cibum, miſerrimum etiam, licet non ſordidum, corporis cultum, cetera omnia paupertati tribuebat, animo ab terrenis adeo alieno, ut ſi quando donum, aut pecuniam, quam non noſcebat, ab alio accepiſſet, eam indigentibus ſociis large diſtribueret, ægris præcipue, quibus opem quam poterat maximam ferre ſatagebat. Ita et ritu pauperum ſepeliendus fuit qui paupertatem divitiis omnibus tanto ſtudio prætulerat. Hiſce maxime virtutibus intactum oſtendebat animi candorem, angelicæque virtutis fulgorem, quem divino beneficio adeptus erat maximum, atque tot corporis cruciatibus, tanta ſui abnegatione, tam conſtanti ſensuum cuſtodia tuebatur. In ſe feveriſſimus, erat erga alios maternæ charitatis, quos ne offenderet unquam, vel minimo verbo, curabat diligenter, id enixe ab Deo poſtulans adhi-

adhibito interceſſore Joanne Nepomuceno, in quem præcipua religione ferebatur, et cujus patrocinium ut ceteri ſibi adſciſcerent, quacumquc poterat, ratione ſatagebat. Ceterum cum ſua omnia divinæ voluntati penitus ſubjeciſſet, ac nihil ipſe vellet præter id, quod Deo fieri placeret, cujus ſub paterna Providentia tutus quieſcebat, ſuſtinuit invicto animo rerum viciſſitudines, quas ſi ſalva divina voluntate potuiſſet, effuso ſanguine perlibenter redemiſſet, nec dubitaſſet vitam paciſci pro ea, quam ſuſceperat vivendi ratione, maximi interea beneficii loco habens hocce ſui potiſſimum ſacrificium offerre Deo potuiſſe.

Hiſce virtutum exemplis cum omnibus præluceret, ac ætatis ſuæ annum ſeptimum ſupra ſeptuageſimum exceſſiſſet; ſenſit vires corporis ita debilitari, ac prope extingui, ut ſurgere e lectulo non poſſet; admonituſque quanto in diſcrimine vitæ verſaretur, brevi anteactæ vitæ expiatione, pleniſſimaque cum divina voluntate conformatione ad poſtremam profectionem alacris parabat ſese. Corroboratus eſt ſacro Viatico tenerrimos inter cordis affectus, ac ſuaviſſima cum Servatore noſtro colloquia; ſacro deinde oleo inunctus, fidei, ſpei, charitatiſque actus iterans, quibus mirifice reficiebatur. Hiſce munitus ſacramentis relinqui ſolus cum enixe poſtularet, idque confeſſarius, et adſtantes alii adnuiſſent; cum proximæ mortis ſignum nul-

65-232
May 65
Mazzo

nullum appareret, ac vellent morem gerere ſolitudinem poſtulanti, quo liberius ſese effunderet in tenerrima cum Deo, ac Beatis colloquia; ipſe, virium infirmitatem cum ſpiritus robur, ac virtus ſuperaret, maximo conatu ſurrexit e lectulo, ac genuflexus animam Creatori ſuo reddidit 22. Jun. 1784. Ita genuflexus, et extinctus inventus eſt ab his, qui multo poſt in conclave irruperunt, et ſequenti die apud S. Clementem more pauperum Sacerdotum tumulatus eſt, relictis nobis tot virtutum exemplis, quæ recordari non poſſumus, quin tanti Viri memoria recreemur, et ejuſdem imitandi deſiderio accendamur.

734

BA788
P912v

QP